
54

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.le
109
A
19
NAPOLI



318

Digitized by Google

CONSPECTVS
PRAESTANTIORVM SCRIPTORVM
LATINAE LINGVAE,
IN GRATIAM IVVENTVTIS ACADEMICAE,


COMPENDIO REPRAESENTATVS

AB

OLAO BORRICHIO.

EDITIO NOVA,

Subſtrata vnicuique fere paginae accurata meliorum editionum recenſione, & adiectis calci neceſſariis indicibus aucta.



AD EXEMPLAR HAVNIENSE

A. R. G. cIↄIↄccLIX.

Digitized by Google

Quintilianus.

An vero ſtatuarum artifices, pictoresque clariſſimi, cum corpora quam ſpecioſiſſima fingendo pingendoue efficere cuperent, vnquam in hunc inciderunt errorem, vt Bagoam, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis ſumerent ſibi, ſed Doryphorum illum aptum vel militiae, vel palaeſtrae, aliorumque iuuenum bellicoſorum & athletarum corpora, quae eſſe decora vere exiſtimarint? nos qui oratorem (*vel doctum*) ſtudemus effingere, non arma, ſed tympana eloquentiae demus?

VIRO

PER-ILLVSTRI

ET GENEROSO,

DOMINO

PAVLO VINDINGIO,

SACRAE REGIAE MAIEST. DAN. & NORV.

CONSILIARIO IVSTITIAE ET CANCELLARIAE,

ASSESSORI IN SVPREMO IVSTITIAE TRIBVNALI, CANCELLARIA, ET CONSISTORIO,

GRAECAE LINGVAE IN ACADEMIA HAVNIENSI PROFESSORI PVBLICO,

COLLEGII MEDICEI EPHORO,

FACVLTATIS PHILOSOPHICAE H. T. DECANO.

VIR PERILLVSTRIS
ET GENEROSE,

Patere facilis, quod me quidem interprete, vtinam ſatis digno! Tuos ſubeat Lares, nouamque a Te lucem mutuari ſatagat illuſtre BORRICHIANVM nomen. Quem enim iuſtius Statorem nominis ſui appellaret BORRICHIVS noſter, quam illum, cuius virtutes & pietatem vsque eo ſuſpexit viuus, vt ampliſſimae ſuae munificentiae Diribitorem, Collegiique Medicei Ephorum denominaret perpetuum? Sed parum id titulis Tuis: loquantur toties diuina Tua voce animata pulpita Academica, loquantur ſupremum Aſtraeae Tribunal, cui toties euigilata Tua commo-

das conſilia, & ſuccenturiatis Tua merita conatibus ebuccinent, vtrinque cum ſtupore, nouum Daniae Varronem, novum Narſetem aut Zamolxin contigiſſe. Aſt cum in tanta nominis magnitudine ſemper idem ſis, id eſt, modeſtus, obuius, humanus, crudis meis encomiis moleſtus eſſe vereor, id tantum obiter addens, Graias Latialesque Muſas Te verum adorare Apollinem, & digno adeo vindice tripudiare, quem vt diutiſſimum & proſperrimum poſſideant, ex animo cum iis precor, deſidero

Florentiſſimo Nomini
VINDINGIANO
addictiſſimus.

LECT.

LECT. BENEV.

S. P.

Euolat dènuo, & comptior paullo conſpectui tuo ſe ſiſtit immortalis *Borrichii* multo elegantiſſimus *Scriptorum Latinorum Conſpectus*, bonis vtinam auibus! Et licet haud inglorie in eodem ſe explorauerint campo eruditorum alii, id tamen Noſtro dandum eſt, plus ſucci ac roboris ipſi ineſſe, meliusque compendium vix voto fingi poſſe. Reſtabat ſaltem, vt, cum nouam Soſii editionem deſiderarent, praetermiſſae a *Borrichio*, vel ſponte omiſſae editiones adiicerentur, eo duntaxat conſilio, vt, quibus otium non eſt omnes librariarum tabernarum angulos perreptandi, luſtrandique, hic in parua velut imagine praecipuas intuerentur, & grati nobiſcum recognoſcerent. Non equidem ignoramus, quam variis doctorum virgulis & obelis confixae ſint nonnullae cum *Variorum commentariis* editiones, *Tyſii* praecipue, & *Schreuelii*, quod mutilatas eruditorum notas, easque ſaepius exiguo cum iudicio decerptas illae exhibeant; verumtamen ex aequo rem computantibus non adeo diſplicere poteſt eorum in contrahendis vaſtioribus aliorum commentariis conſilium, modo exactiori id exſecuti eſſent iudicio, nec cum Mezentio corpora viua iunxiſſent mortuis; hoc laudatiores merito aeſtimandi ſunt *Gronouius*, *Graeuius*, aliique, quorum idcirco editiones, (vbi in iisdem edendis Auctoribus fuerint occupati) illis ſub-

ſtituimus. Sed nec ſilentio inuoluimus alias editiones inſignes, quas inter capita exſerunt ſplendidae illae, & iuſſu Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, in vſum Sereniſſimi Filii, *Delphini*, adornatae, quibus praefuere *Carolus de Sancta Maura*, Montauſerii Dux, & Regis Conſiliarius, *Petrus Daniel Huetius*, & *Jac. Benignus Boſuetus*, doctiſſimi illi Tanti Principis praeceptores. In hiſce vero editionibus *prima* cura fuit, vt textus exhiberetur accuratiſſimus, *ſecunda*, vt obſcuriora quaeque clariori explicarentur interpretatione; *tertia*, vt adderentur notae ad illuſtrationem Auctoris maxime neceſſariae, *quarta*, vt adiiceretur index omnium vocabulorum: quod laudabile inſtitutum quis non marmoreis extolleret encomiis? licet nec hic deſint, qui maculas offendant, rimenturque. Nemini autem officiat: cui antiquiores in deliciis ſunt editiones, quod has reliquerimus, id enim de induſtria factum, cum circumſcripti nobis limites ita exegerint; nulli vero dubitamus, quin amari impenſe, laudarique mereantur editiones *Aldinae*, *Iuntarum*, *Gryphianae*, *Stephanianae*, *Plantinianae*, *Raphelengianae*, cum accuratione & integritate textus maxime ſe tueantur, commendentque, praeſertim vſui futurae iis, qui auctorem aliquem emendare aut edere geſtiunt. Sed & curioſorum oculos animosque inuitant nitidiſſimae illae & accuratiſſimae editiones *Elzeuirianae*, forma, vt vocant, duodecima excuſae. Scholis ſe commendant *Farnabianae* & *Minellianae*, quamuis notae *Farnabii* plus ſucci & eruditionis habeant, ac *Minellii*, vt vt arctiores. Porro, quo facilior eſſet huius ſcripti vſus, tres indices adornauimus, quos prolixe enarrare, operae vix erit. Ad extremum, Soſiorum negligentiae ignoſcas, B. L. ſi curioſis tuis oculis remoram iniiciant quaedam, quae emendationem expoſcunt,

ſphalmata.

OLAI BORRICHII

CONSPECTVS PRAESTANTIORVM SCRIPTORVM LINGVAE LATINAE.

I.

Latina lingua vt aliquid a Noachidis in Italicam olim appellentibus trahit, de quo erudite, *Edm. Dickinſon,* ita plurimum debet Graecis, quorum poſtea coloniae maritima Italiae inſedere: vnde *Fabius* diſerte: *maxima ex parte*, inquit, *Romanus ſermo ex Graeco conuerſus eſt.* Et quidem ex dialecto Aeolica hauſit pluſculum, auctore *Dion. Halicarnaſſeo,* immo & Doricae non pauca debet. Fuit autem ſeculis Romanorum primis rudior, & agreſtior, quod armis magis ſtuderent, quam linguae poliendae; paulatim tamen exuit ruſticitatem, praeſertim ab anno Vrbis Conditae DXIV. quo LIVIVS ANDRONICVS dramate

Digitized by Google

inclaruit. Poſtea ſymbolam adiecere NAEVIVS, ENNIVS, CAECILIVS, PACVVIVS, ACCIVS, AFRANIVS, LVCILIVS, alii; (a) ſed ad robur maſculum, & elegantiam non eſt prouecta ante aeuum Plauti, quem ex *Tullio* conſtat extremis belli Punici ſecundi annis floruiſſe. Sed quod hominibus contingit, idem linguae Latinae accidiſſe certum eſt; fuit tempus, quo floreret, quo declinaret tantillum, quo euidentius defloreſceret, quo in ſenium; ſtridorem, & barbariem terminaretur.

2. Vt illa tempora clarius internoſcantur, conſueuere literatores linguae huic quatuor aetates aſſignare, *auream, argenteam, aeneam, ferream* fictili mixtam, vt habeat, quo, ſuo etiam modo, cum ſtatua Nebuchadnezaris comparetur. *Aurea* incipit a bello Punico ſecundo, id eſt, anno V. C. DXXXVI. & deſinit in morte Octau. Auguſti, id eſt, anno V. C. DCCLXVII. atque adeo, annis CCXXXI. durauit, quo tempore Latina lingua viguit caſta, natiua, florida; quod & olim agnouere *Seneca & Quintilianus*, & noſtro ſeculo luculente probauit *Scioppius*. Scriptores eius nobiliores ſunt viginti: CATO, PLAVTVS, TERENTIVS, CICERO, LVCRETIVS, VARRO, CAESAR, NEPOS, SALLVSTIVS, CATVLLVS, TIBVLLVS, PROPERTIVS,

(a) Quorum fragmenta edidit *Henr. Stephanus*, Pariſ. 1564. 8uo. & *Theod. Ianſ. ab Almelouenen*, Amſtelod. 1686. 8uo.

TIVS, VIRGILIVS, HORATIVS, LIVIVS, VITRVVIVS, MANILIVS, GRATIVS, CAESAR GERMANICVS, OVIDIVS. *Argentea* aetas ab exceſſu Auguſti, id eſt, anno Chriſti XIV, ad obitum Traiani, id eſt, annum Chriſti CXVII. extenſa, centum & tres annos implet. Interea Latina lingua ita ſuſtinuit antiquam gloriam, vt parum in ea peregrinitatis, aut flacceſcentis ſenii liceat obſeruare, non eſt tamen tota pura & integra, quod & dictio ſubinde declinet, & nonnunquam voces nouae, nonnunquam nouo more flexae inducantur. Debet autem hoc partim ingeniis non contentis antiqua & natiua venuſtate; partim vberioribus commerciis peregrinorum in Vrbem ventitantium. Scriptores huius aetatis praeſtantiores numerantur viginti quinque VALERIVS MAXIMVS, PHAEDRVS, MELA, PATERCVLVS, COLVMELLA, PALLADIVS, CELSVS, SENECA, LVCANVS, PERSIVS, ASCONIVS, CVRTIVS, PLINIVS, SILIVS, VAL. FLACCVS, MARTIALIS, IVVENALIS, TACITVS, QVINTILIANVS, FRONTINVS, STATIVS, PLINIVS IVNIOR, FLORVS, SVETONIVS.

HYGINVM, SCRIBONIVM, PETRONIVM, IVSTINVM, DICTYN, CLAVDIANVM cur adiicere his non libuerit, poſtea conſtabit.

3. *Aenea* aetas a Traiani obitu non inconvenienter porrigitur ad Romam, ab Alarico, Gotho-

Gothorum Principe, expugnatam, quod accidit anno Chriſti CCCCX. Toto enim hoc tempore lingua paulatim conſenuit, donec propemodum in exilium iret, Gothis Italiae infuſis. Cauſae ſenii, alienigenarum frequentior in Vrbe concurſus, ingeniorumque variandi & innouandi deſiderium. Ideo autem ab aeuo Traiani manifeſte degeneraſſe videtur, quod Hadrianus ſucceſſor, vtcumque ipſe doctiſſimus, doctos ſubinde inceſſeret, & quaeſtionibus inenodabilibus cruciaret, vnde plerisque faſtidiri coepit elimandi diligentia. Scriptores huius aetatis non vnius generis ſunt, alii enim in fingendis, componendis, flectendis vocibus, & dictione audaciores deprehenduntur, alii moderatiores; ex quibus electiſſimi ſemper illi, qui ſe genio aurei argenteique ſeculi familiarius accommodauere. Inter hos aeneos numerantur GELLIVS, APICIVS, IVSTINVS, APVLEIVS, TERTVLLIANVS, HISTORIAE AVGVSTAE SCRIPTORES, OBSEQVENS, SOLINVS, SAMONICVS, VLPIANVS, & plures alii, de quibus poſtea. Ab anno Chriſti CCCCX. hoc eſt, initio quinti ſeculi Chriſtiani ad annum MCCCL. circiter, *ferrea & fictilis* aetas late imperauit, atque adeo mille propemodum annis non tantum nulla cepit incrementa, ſed magis atque magis degenerauit, cadaueroſa plane & deformis, niſi quod illuſtria quaedam,

ſed

ſed pauca ingenia quoduis Seculum illuſtrarint, non tam dictionis cura, quam variae eruditionis gloria.

Aurea aetas.

4. Sed nunc ad ſcriptores *aureae* aetatis. Primus eſt M. Porcius Cato Censorius, Plinio optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator, qui militauit bello Punico ſecundo, poſtea ſcripſit. Eius, praeter *Originum fragmenta,* exſtat hodieque liber de *Re Ruſtica.* In *Originibus* dictio eius grauis eſt, arguta, ſubtilis, ſine flore tamen, ſine aſcititio colore: in opuſculo de *Re Ruſtica* clara, & rei, quam tradit, oppido conueniens, adeoque caſtigatae, puraeque latinitatis cultoribus merito imitanda. Interea ab obſoletis eius vocibus, & medicatione per verba, conſulto abſtinendum. De hoc auctore bene meriti ſunt recenſione & notis *Meurſius & Popma.* (b) Quae ex Originibus Catonis affert *Annius Viterbienſis,* omnia ſuppoſititia ſunt.

5. M. Accivs Plavtvs, Comicus, extremis belli Punici ſecundi annis floruit, ſecundum *Tullium* in Bruto: eius ore locuturas Muſas, ſi Latine loqui vellent, credidit apud Varronem *Aelius Stolo.* Dictio eius natiua eſt, pura, amoena & digna quam imitemur, ſi declinemus archaismos eius, item voces riſui captando fictas,

(b) Franekerae 1610, in 8uo.

fictas, denique ſcurriles iocos; ſales laudantur, ſed tempori, non vbique infarcti, non agreſtes, non ſerio argumento inculcandi. De internoſcendis Plauti Comoediis varia erudite tradidit *Gellius*. (c) Ex editionibus Plauti *Taubmanniana*, (d) & *Gronouiana* (e) praeferuntur. Laudem quoque meretur *Parei* index Plautinus.

P. TERENTIVS AFER, Comicus, ingenio & dictione cultiſſimus, felix Menandri imitator, clarus Anno V. C. ſexcenteſimo, plures reliquit Comoedias; ex quibus hodie non niſi ſex ſuperſunt, in quibus, ſi pauca obſoleta excipias, omnia fere compta, ſtylus natiuus, ſimplex, purus; nil audax in translationibus, nil in iocis futile, nihil in compoſitione durum. Inter editores laudantur praecipue *Far-*

(c) *Querolus* ſeu *Aulularia* ſeorſum excuſa, diuerſaque ab ea, quam inter Plautinas vulgo ponunt editores, Plautum auctorem non agnoſcit. Edita eſt Heidelbergae apud Commelinum cum notis *Petri Danielis*, *Conradi Rittershuſii* & *Iani Gruteri*, in 8uo.

(d) cum commentariis, ex recognitione *Iani Gruteri*, Francof. 1621. in 4to.

(e) cum comment. *variorum*, Lugd. Bat. 1669. in 8uo. In vſum Ser. *Delphini* edidit *Iacobus Operarius*, vol. II. in 4to. Pariſ. 1679. Iungatur *Ioh. Phil. Parei* Lexicon Plautinum, editum Hanov. 1634. in 8uo, vel eiusdem Lexicon Criticum, ex Plauto potiſſimum concinnatum, Norimbergae 1645. 8uo.

Farnabius, *Anteſignanus*, (f) *Guietus*, *Boeclerus* (g)

6. M. TVLLIVS CICERO, Conſul Romanus, natus anno V. C. ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Latialis eloquentiae caput & princeps, dictione caſtiſſimus; ſcriptor ſagax, diſertus, copioſus: ſtylus eius in epiſtolis varius, in praeceptionibus, & Philoſophicis temperatus: in orationibus plerumque Aſiaticus, plenus, ſublimis. Ipſe prudens plerumque & profundi iudicii, quod in inſectando nimiam eius acerbitatem notent eruditi, & in laudando prolixitatem nimiam. In aduerſis quoque animo fractum fuiſſe conſtat, in ſecundis glorioſiorem, quin & appetiiſſe ſimultates ferociter, geſſiſſe cum metu. Inter ſcripta eius, quae periere, recenſetur nobile opus de Republ. *Auguſtino* etiam laudatum. Non legendus autem *Cicero* dictionis tantum gratia, ſed & rerum

(f) cum commentariis *varior.* & adpoſitis ad ſingulos verſus dimenſionibus, Lugd. 1560. in 4to.

(g) Terentium cum *Guieti* ſuisque notis edidit *Boeclerus* Argentorati 1657. in 8uo. Laudatur & editio *Iac. Kockerti* cum Collectaneis, Lubecae 1651. 8. item *Pareana* cum notis parallelis, omniumque vocabulorum conſummatiſſimo indice, Neapoli Nemetum 1619. 4to. Cum notis *Variorum*, *Donati* ſcil. *Eugraphii*, *Faerni*, *Boecleri*, *Farnabii*, *Merici Caſauboni*, *Tanaq. Fabri.* Optime prodiit Amſtelod. in 8uo. In vſum *Delphini* adornauit *Nicol. Camus*, Pariſ. 1675. in 4to.

rum. Sane Liber *de Officiis, & de Amicitia*, Candidato Ethices vtiliſſimus eſt: *Philoſophica* eius mirifice acuunt ingenium, licet Stoicis hinc inde propiora. *Epiſtolae ad Quintum fratrem* opportune praeparant lectorem ad gubernandam feliciter Rempublicam. *Epiſtolae ad Atticum* egregie repraeſentant hiſtoriam temporum illorum, vitia Ducum, ſtudia Principum, mutationes Reipublicae. Adeſt paſſim, quod inſtruat Philologum, Politicum, Iuris conſultum: quin & Hiſtoricum l. 2. de Oratore ita informat per deductionem conſiliorum, actuum, euentuum, vt nemo hactenus rectius. Inter editiones operum Ciceronis praeſtantior eſt *Hamburgenſis* illa *Gruteri,* (h) notis illuſtrata. Textum emendatiſſime diuulgauit *Petrus Victorius.* (*) Editionem omnium optimam exſpectamus e manu *Graeuii,* qui epiſtolas Cicer. ad familiares nuper in lucem emiſit cum notis & animaduerſionibus accuratis. (i)

7. T.

(h) 1618. vol. II. fol. (*) Itidem II. vol. fol.

(i) Ciceronis Epiſtolae ad Famil. ex recenſione *Io. Georg. Graeuii*, cum eiusdem & *Variorum* notis integris, Amſtel. 1676. vol. II. 8uo. Epiſtolae ad Atticum, ibidem 1684. II. vol. De Officiis cum ſequentibus tribus Opuſculis & Somnio Scipionis, ibid. 1688. Orationes, ibid. 1699. IV. voluminibus. Laudatur & editio Operum Ciceronis *Corn. Schreuelii*, Amſtelod. 1661. in 4to. cum notis *Iani Guilielmi* & *Gruteri*. Textum nitidum & accuratum exhibet editio *Elzeuiriana*, Lugd. Bat. 1642.

7. T. Lvcretivs Carvs, Tullio paullum ſenior, reliquit Poëma librorum ſex *de Natura Rerum*, ad mentem Epicuri, ſeu verius Democriti, vbi omnia ex atomorum vario concurſu deducere laborat; quam philoſophiam *Laërtius* l. Xmo ſtrictim exponit, fuſiſſime *Gaſſendus*. Dictio eius pure & emendate Latina eſt; adeo vt, iudice *Scioppio*, a nemine hac parte vincatur. Sunt tamen verſus eius tereti auri hodie duriuſculi, ſed genius is fuit temporum, quem ſequentes Poëtae emollierunt. Editionum illa melior eſt, quam publico dedit *Tanaquil Faber* commentariis illuſtratam (k). Marcvs Terentivs Varro, Romanorum doctiſſimus, Tullii amicus, varia ſcripſit, ex quibus hodie praeter fragmenta, ſuperſunt libri *de Re Ruſtica*, & ex nouem, vltimi ſex *de Lingua Latina*. Et quidem libro primo

1642. vol. X. 12mo. Palmam reliquis praeripit editio *Iac. Gronovii*, Lugd. Bat. 1692. in 4to. vol. II. & in 12mo maiori, vol. IX. Epiſt. ad Fam. in vſum *Delphini* opera *Phil. Quartier*, Pariſ. 1685. 4to. Orationes in vſum *Delphini* illuſtratae a *Carolo de Meroüville*, Pariſ. 1684. vol. III. 4to. Oratoria in vſum *Delphini* vulgauit *Iac. Prouſt*, Pariſ. 1687. vol. II. 4to.

(k) Salmur. 1662. 4to. Nec illaudata editio *Oberti Giſanii*, Lugd. Bat. 1595. 8uo. cum indice, quem in ſuum Lexicon Lucretianum transtulit *Pareus*. Commendatur quoque editio Londinenſis 1695. 8uo, a *Th. Creech* adornata. In vſum *Delphini* edidit *Mich. Fayus*, Pariſ. 1680. 4to. Peſſima editio eſt *I. Nardii*, Florentiae 1649. 4to.

primo Rei Ruſticae, ipſam agriculturam oculis & animo ſubiicit, ſecundo rem pecuariam, tertio villaticas paſtiones; dignum opus, quod non tantum ob dictionem propriam, cultam; meditatam, ſed & ob ſalutaria praecepta ſaepius in manus eruditorum veniat, omiſſis, quae de XII. Diis, agricolarum Ducibus, quaeque de medicatione Homerica ceu paganus inſpergit. Libris eius de Analogia linguae Latinae nihil eruditius, ſi vnum illud & frequens eius vitium excipiamus, quod ex inuidia credi poſtulet, voces plerasque Latinas a Graecis non deriuari. Lucem huic ſcriptori addidit *Petrus Victorius, Auſ. Popma, Ioſ. Scaliger.* Laudatur editio *Durdrechthana* cum notis *Variorum* (l)

8. C. IVLIVS CAESAR, Monarchiae Romanae auctor, & fundator, non armis tantum, ſed & ſcriptis illuſtris fuit. Exſtant hodieque libri eius ſeptem *de bello Gallico, de bello Ciuili* tres, in quibus omnia clara ſunt, propria, elegantia ſine cincinnis. *Tullius* ita: *Commentarios,* inquit, *ſcripſit Iul. Caeſar valde quidem probandos. Nudi ſunt, recti & venuſti, omni ornatu orationis tanquam veſte, detracto: ſed dum voluit alios habere paratum, vnde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volent calamiſtris inurere: ſanos quidem*

(l) An. 1520. & Lugd. Bataua 1601. 8uo.

dem homines a ſcribendo deterruit. Ad ſummam, laudatur in dictione eius ſumma linguae Romanae caſtitas, accurata ſtructura, profundae obſeruationes politicae, ſententiae graues & perſpicuae, absque recondito ſenſu; ſagacia in rebus ambiguis conſilia, etiam hodiernis exercituum ductoribus vtilia. Nec illud absque encomio, quod de inimicis ſemper honeſte loquatur. Tria vituperant curioſi: vnum, quod in concionibus fama ſua minor ſit; alterum, quod reticeat quaedam parum generoſe a ſe commiſſa; tertium, quod ſibi adſcribat nonnunquam, quae per Duces ipſius abſentis geſta ſunt. Conſtitutus iam Princeps Orbis terrarum, ſtatum Reip: ſapienter ordinauit, faſtos reſtituit, Medicos ciuitate donavit; occiſus tandem a Bruto & Caſſio anno V. C. DCCX. in Curia Pompeii. Editiones inter eminet illa *Iungermanni*, (m) & vltima *Arn. Montani* impreſſa Amſtelr. anno 1670. cum notis *Variorum.* Addi ſolet Iul. Caeſari A. HIRTIVS PANSA, qui librum *octauum de bello Galli-*

(m) Cum *variorum* notis integris, & Graeca in libros VII. de bello Gallico verſione, Francof. 1606. in 4to. Repetita ibidem editio Anni 1669. 4to. priori longe eſt inferior. In vſum *Delphini* adornauit *Ioh. Godwinus*, Pariſ. 1678. 4to. Neque diſplicet editio *I. G. Graeuii*, cum poſthumis *Dionyſii Voſſii* notis, & *Io. Rhellicani* in Hirtium annotationibus, *Iuliique Celſi* de vita & rebus geſtis Caeſaris comment. Amſtelod. 1697. 8uo.

Gallico Iul. Caeſari attributum compoſuit, & tres alios libros, vnum *de bello Alexandrino, de Africano* alterum, tertium *de Hiſpanienſi.* Vltimum tamen vt minus comptulum *C. Oppio* nonnulli attribuunt. Sed bene *Ioſ. Scaliger* Hirtio adſcribit, putatque eum caeteros ſcripſiſſe maiori otio, hunc ſtylo extemporali. Eſt autem dictio *Hirtii* terſa, vere Romana, apte cohaerens, in qua nihil quaeſiti coloris. Fuit autem *Hirtius* Iul. Caeſari familiaris, & ab eodem Praetor conſtitutus. Editiones *Hirtii* eaedem laudantur, quae *Caeſaris.*

9. CORNELIVS NEPOS, Tullio aequalis, *Vitas Excellentium Virorum,* praecipue Graecorum, XXV. nobis reliquit, praeter alia, quae intercidere. Eius dictio munda eſt, lecta, ſed ſimplex, & natiua quadam proprietate, ſine vlla affectatione, ſponte fluens, vnde pueri germanam illam pure loquendi Latine conſuetudinem haurient, maturiores etiam plura ciuilis & militaris prudentiae monita, variis ſententioſe dictis temperata. Ex editionibus, quod ad textus integritatem, optima aeſtimatur *Ioh. Vorſtii,* quod ad notas, & indicem, *Boecleri* (n).

10. C.

(n) Editio Corn. Nepotis *Boeclero-Vorſtiana* cum indice excuſa eſt Lipſiae 1669. 8uo. deinde Ienae 1675. 8uo. cura *Ioh. Andr. Boſii,* additis ſuis & *Henr. Ernſtii* annot.

10. C. Sallvstivs Crispvs, Tullii inimicus, *Coniurationis Catilinae*, & *Belli Iugurthini* ſcriptor, vſus eſt conciſo dicendi genere, paucis multa complexus, eoque non raro amputatae eius ſententiae, & verba ante exſpectationem cadentia, quae & ipſa nonnunquam deſita, & ex Originibus Catonis mutuata, nonnunquam Poëticae formae propiora. Culpantur in eo varia, digreſſiones minus opportunae: orationes rectae, eaeque rudibus Afris attributae, plenae ſententiis & coloribus: plura ad hiſtoriam neceſſaria, intacta: odium partium, & hinc neglecta ſubinde cura veritatis: politicae ſapientiae nimia affectatio, alia. Sed haec non efficiunt, quo minus dictio eius in plerisque laudetur, vt perſpicua, ordinata, & cum cura elaborata, eoque candidatis Romanae eloquentiae profutura. Commendatur editio *Gruteriana*, (o) & vltima *Lugduno-Batava* cum notis *variorum* (p).

 11. C.

not. Cum notis ſelectis *Variorum* & iconibus aeri inciſis prodiit Lugd. Bat. 1675. 8uo. In vſum *Delphini* exire iuſſit *Nic. Courtin*, Pariſ. 1675. 4to. Nec ſua caret laude editio *Chriſtoph. Cellarii*, cum notis, & tabulis Geographicis, Lipſiae 1694. 12mo.

(o) Francof. 1607. 8uo cum integris *variorum* annotationibus; licet textus incuria Soſiorum non adeo ſit accuratus.

(p) An. 1665. 8uo. ex recenſione *Ioh. Frid. Gronouii*; haec editio repetita eſt ibid. 1667. ſed apparatius. In vſum *Delphini* vulgauit *Dan. Criſpinus*, Pariſ. 1674. 4to.

II. C. VALERIVS CATVLLVS, Tullio carus, ſuauiſſimus Poëta, qui ſi ſubinde duriusculus appareat, praeſertim in epicis, mirifica ingenii amoenitate honorem illum abſterſit. Argumentum ipſi plerumque minus caſtum, verbis tamen dictione Romana caſtiſſimus fuit. Iungendi Catullo TIBVLLVS, & PROPERTIVS propter affinitatem argumenti, quod hi Amorum triumuiri eo fere tempore Remp. inconceſſos laudando ignes vrerent, quo reliqui illi maiorum gentium triumuiri Antonius, Lepidus, & Octauianus eandem ferro & caedibus cruentabant. Eſt autem *Albius Tibullus* nitidus, terſusque Poëta, in exprimendis affectibus mire felix. Similiter cultae admodum & rotundae *Sept. Aurel. Propertii* elegiae, ſed indignae ſaepius, quae caſtos oculos morentur, vno parum numeroſae, quod polyſyllabo frequentiſſime claudantur pentametra. Catullum, Tibullum, Propertium ſollicite edidit *Gabbema & Graeuius* cum commentar. *variorum*, (q) *Ioſ. Scaliger* notis eru-

(q) *Gabbemae* editio eſt Traiectina, 1659. 8uo. cum notis ſelectis *variorum*. *Graeuii* lucem aſpexit 1680. ibid. 8uo. cum integris *variorum* commentariis, quae editio *Gabbemanae* (licet ſatis probae) longe eſt praeferenda. Laudanda & editio *Iani Gebhardi*, cum *Liuinei* aliorumque notis, & optimo *Horatii Tuſcanellae* indice, Francof. 1621. 8uo. apud Wechelios. In vſum *Delphini* hos trium viros publicauit *Philippus Syluius*, Pariſ. 1685. vol.

eruditis illuſtrauit. Laudantur in eos indices *Tuſcanellae & Paſſeratii.*

12. P. VIRGILIVS MARO, natus anno, quo Tullius iam ſenior Verrem poſtulauit repetundarum, merito Poëtarum Latinorum coryphaeus habetur. Praeluſit magnitudini ſuae in *Bucolicis*, imitatus praecipue Theocritum, cuius ſi dulcedinem aſſequi nequiit, eam Romana grauitate penſauit. Hinc excitatior res ruſticas metro complexus Heſiodum ſecutus eſt, & propemodum ſuperauit; nouiſſime, vt bellicam virtutem, quae in Iliade Homeri proponitur, & ciuilem, quae in Odyſſea, ſimul vno velut faſce comprehenderet, ſcripſit XII. illos *Aeneidis* libros, opus, licet iudicio Auctoris ipſius, adhuc immaturum, omnibus tamen Poëtarum ſcriptis hactenus maturius. Dictio eius in *Bucolicis* humilior, ſed pura, in *Georgicis* floridior, laetiorque, in *Aeneide* magnifica, & ſine affectatione cothurnata, immo ita mirifice expicta digreſſionibus, veriſimili euentuum varietate, vt licet in argumento ficto occupetur, propemodum tamen legentibus fidem exprimat. Accedit, quod res ver-

vol. II. 4to. *Catullum* cum obſeruationibus eruditiſſimis ſeorſum edidit *Iſaacus Voſſius*, Londini 1684. 4to. Optimam *Propertii* editionem, cum annotat. & indice locupletiſſimo, nuperrime procurauit *Ianus Broukhuſius*, Amſtelod. 1702. 4to.

verbis aequet, actiones tardas, grauesque ſpondeo conuenienter imitatus, celeres volubili dactylo, qua parte omnes hactenus Poëtas anteiit. Ex editionibus laudatior *Taubmanniana* (r) cum notis *Seruii;* neque diſplicet *Thomae Farnabii.* Laudatiſſimus Virgilii index a *Nicol. Erythraeo* (s) conſcriptus exſtat.

13. Q. Horatius Flaccus, elegantia carminum per Maecenatem Octau. Auguſto olim conciliatus, iure, meritoque in optimis latinitatis ſcriptoribus hodie cenſendus eſt. Dictio eius genuina facilitate ſe commendat, & tamen coloribus Rhetorum pulcherrime diſtincta cernitur. In *Lyricis* a nemine Latinorum vincitur: *Sermones* eius & *Epiſtolae* vt ſapientiae monitis, & phraſi electa abundant, ita numeris, & amabili rotunditate carent. Quae *de Arte Poëtica* praecipit, iudicii & prudentiae pleniſſima ſunt, licet non vbique numeroſa. In Horatio pleraque, ſi metro ſolvantur, Oratori etiam vſui eſſe poſſunt, reliqui Poëtae non aeque ſequaces. Inter editores

(r) Francof. 1618. 4to.

(s) Virgilius *Nic. Erythraei* cum ſcholiis eiusdem indiceque copioſiſſimo, & praefat. *Sylburgii* prodiit Francof. apud Wechelios 1583. 8uo. In optimis Virgilii editionibus cenſetur *Emmeneſſii* illa III. volum. in 8uo. Lugd. Bat. 1680. cum laudato *Erythraei* indice, & ſelectis *variorum* commentariis. In vſum *Delphini* adornauit *Carolus Ruaeus*, Pariſ. 1675. 4to.

res praeferuntur *Bondius* (t) & *Schreuelius* (u). *Daniel Heinſius* plurima *Horatii,* quae male cohaerentia & disiecta ipſi viſa ſunt, in certiorem ordinem transtulit (x). Exſtant in Horatium luculenti indices, *Th. Treteri*, (y) *Auemanni* (z) & aliorum.

14. TITVS LIVIVS Patauinus, anno V. C. DCCL. celebris, *hiſtoriam Romanam* amplius quam centum libris complexus eſt, ex quibus reſtant hodie non niſi triginta quinque: prima decas integra eſt, ſecunda periit, reliquae, ex quibus libri nonnulli truncati ſunt, ad quadrageſimum quintum ſuperſunt, caeteri eſſe deſiere. Fragmentum quoddam Liuianum edidit *Caſpar Luſignanus* nomine libri quadrageſimi tertii, ſed quod pertinet ad trigeſimum tertium. Amiſſorum circumfertur epitome, incertum an *Floro* attribuenda. Laudatur *Liuius*, princeps hiſtoricorum Lat. a lactea vbertate, a facundia ſumma, ab amore

 veri,

(t) Cuius editio Amſtelod. 1670. 12mo, cum ſcholiis.

(u) Cuius editio Lugdun. Bat. 1670. 8uo. cum notis *variorum.*

(x) Editio *Heinſiana* commendatur, Lugd. Bat. 1629. 12mo. In vſum *Delphini* publicauit *Ludov. Deſprez* Pariſ. 1691. 4to.

(y) Horatius cum Indice *Th. Treteri* prodiit Antuerpiae 1576. 8uo.

(z) *Dan. Auemanni* Index ex *Tretero* potiſſimum concinnatus ſeorſum Brunsuigae exiit An. 1667. in 12. oblongo, ſub rubrica *Hodogetae Horatiani.*

veri, vitiorumque odio. Profecto ſingulari fide deſcribit originem & formam Reipubl. Rom. leges, ſacra, Magiſtratus, pacis & belli inſtituta, conſilia principum & populi, ſeriemque temporum per conſules. Carpuntur tamen in illo varia; 1. Patauinitas, 2. verboſitas in hiſtoria, 3. nimia in portentis ſuperſtitio, contra quam Polybius, 4. exceſſus in laudandis bonis, & in perſtringendis malis defectus, 5. maior ſubinde cura facundiae, quam veritatis, 6. odium Gallorum, & nimius amor patriae, 7. orationes diſertae, & nimis frequentes & ſaepe rudiſſimis populis adſcriptae, 8. memorabilia quaedam omiſſa. Vt taceam alia crimina, a *Paulo Benio* obiecta. Sed in quibusdam mitiganda cenſura: vtque non mitiges, non deſinet tamen Liuius eſſe politiſſimus ſcriptor, dignusque, qui attente verſetur, legaturque. Inter omnes editiones Liuianas longe accuratiſſima illa eſt, quam cum notis *variorum* publicauit *I. Fr. Gronouius* (a). Supplementum Liuii ſcripſit *Freinshemius*, erudite quidem, ſed nequaquam, vt Liuius, ſplendide.

15. Vi-

(a) Amſtelod. 1665. III. volum. in 8uo. praeſtat tamen ob auctiores notas & obſeruationes editio *Iac. Gronouii*, Amſtelod. 1679. itidem III. volum. 8uo. In vſum *Delphini* cum integro *Freinshemii* ſupplemento adornauit *Ioh. Douiatius* Pariſ. 1682. VI. vol. 4to.

15. Vitrvvivs Pollio, Oct. Auguſto ſcriptum ſuum dedicauit librorum X. *de Architectura*, opus ſolide doctum, & quod praecepta artis intima complectitur. Dictio argumento accommodata eſt, ſubinde tamen plebeia, ſi plebeium aeſtimari debeat, cum plebe Romana, aeuo Auguſti loqui; ſaepe ex Graecis fontibus cum arte ipſa accerſita vocabula, de quibus ad ſatiem *Bern. Baldus*. Huic ſcriptori primum excidit vox *nullibi*, cum omnes aureae & argenteae aetatis ſcriptores pro eo ament *nusquam*. Nobis vt non diſplicet ſtylus, quoties ſimile argumentum inuitat, ita perplacet ſententia eiusdem: *Doctus in omnibus ciuitatibus ciuis eſt.* Editio hactenus optima a *Ioanne de Laet* procurata eſt (b).

16. C. vel M. Manilivs ſcripſit paucis annis ante exceſſum Auguſti, cum Rhodon incoleret Tiberius, recenti adhuc Variana clade; opus eius *aſtronomicum* eſt, & *genethliacon*, libris V. verſu heroico expreſſum: dictio ſatis terſa & elegans, ſine cothurnis, eloquium facile & non anxie conquiſitum, conueniens tamen argumento, Latinis ante verſibus intentato. Materies pleraque ex Aegyptiis diſciplinis hau-

(b) Amſtelod. 1649. fol. vna cum Lexico Vitruuiano *Bernhardini Baldi.* Nouam cum poſthumis *Adriani Auzuti*, Itali, in Vitruuium commentariis editionem exſpectamus e manu *Franciſci Nazarii.*

hauſta, nec a ſuperſtitione libera. Bene de hoc auctore meruit inſigni editione & commentario *Ioſephus Scaliger.* (c), nec male *Fr. Iunius Biturix.* (d) GRATIVS VALISCVS, Ouidio quoque memoratus, *Cynegeticon* ſcripſit, verſu heroico, quod diu ſepultum, ſuperiori demum ſeculo in lucem protractum eſt ab *Act. Sannazario,* & limatius deinde editum a *C. Barthio* (e) *& Iano Vlitio.* (f) Dictio huius Auctoris ſua ſe facilitate & munditie tuetur, humilior tamen plerumque eſt charactere epico, neque id iniuria, cum argumenti ratio id depoſcat. C. CAESAR GERMANICVS, quem Tiberius ob leuiſſimas ſuſpiciones tandem veneno ſuſtulit per Piſonem, *Arati Phaenomena* Graeca carmine Latino heroico expreſſit, & in eadem harena Tullium ſi non vicit, certe aequauit. Accuratior editio illa eſt, quam

(c) Cuius curis ſecundis prodiit Lugd. Batau. 1600. in 4to.

(d) Ex officina Sanctandreana 1590. 8uo. Eminet tamen editio *Ioh. Henr. Boecleri*, cum *Scaligeri* notis adhuc auctioribus; item *Thomae Reineſii & Iſaaci Bullialdi* ad quaedam loca animaduerſionibus, Argentorati 1655. 4to. In vſum *Delphini* prodiit cum notis *Mich. Fayi* & *P. Dan. Huetii*, figuriſque aeneis, Pariſ. 1679. 4to.

(e) Hanouiae 1613. in 8uo.

(f) Ex officina Elzeuiriana, 1645. & deinde 1653. in 12mo.

quam *Hug. Grotius,* oppido iuuenis, expediit, notis comitatam (g).

17. Ovidivs Naso Auguſti aeuo, Poëta, ſi quis vnquam, facilis, natiuus, expeditus. Exſtant libri eius *Faſtorum* VI. (nam totidem periere) antiqua eruditione Patrum Rom. Pontificumque referti, quibus cum *Bart. Moriſottus* ſex alios de ſuo adiecerit, lacunam illam non ſatis feliciter impleuit. Exſtant *Metamorphoſ.* libri XV. nôn illo quidem ſtylo ſublimi epico, ſed tamen decoro, arguto, numeroſo exarati, & vel hoc vno ingenioſiſſimi, quod miro artificio omnes propemodum Veterum fabulas ab initio Orbis, ad ſua vsque tempora, perpetua ſerie, & quaſi catena quadam amabili connectant. *Heroides* & *Amorum* libri puriſſimae dictionis ſunt, impuri plerumque ſenſus. *Triſtium* libri & *Pontica* creduntur humiliora eſſe caeteris eius operibus, vt inter Barbaros in exilio nata, ſed ſane quantum iis periit ſplendoris, tantum ex ingenio additum varietatis & pulchritudinis. *Dirae* eius, vtcunque mordaces, diuinam eius memoriam, & ingenium ad vtrumque paratum loquuntur. *Philomelam, de Medicamine faciei, Pulicem, Panegyricum ad Piſonem,* quae ſcriptis *Naſonis* adiungi ſolent, aliorum foetus eſſe, conſentiunt eruditi. Inter editio-

(g) in *Syntagmate Arateorum* quod auſpiciis *Ioſephi Scaligeri* adornauit Lugd. Bat. 1600. in 4to.

editiones Ouidii nulla caſtigatior eſt, quam *Nic. Heinſii* (h), quam & poſtea ſecutus eſt *Burchardus Cnippingius* (i).

Argentea aetas.

18. In *argentea* Linguae Latinae aetate primum locum dabimus *VALERIO MAXIMO,* quem vltimis Imper. Tiberii annis floruiſſe conſtat. Eius libri IX. *dictorum factorumque memorabilium* adhuc ſuperſunt, quos nonnulli ob dictionem ſubinde degenerem, non eſſe Valerii ſuſpicantur, ſed epitomen librorum eius à *Paride* quodam, vel *Probo* concinnatum. Peruicit tamen *Boeclerus*, antiquo *Valerio* deberi; neque iniuria, eſt enim hic, quem terimus, *Valerius,* ſingulariter grauis in enarrando, breuitate conciſus, varietate delectabilis: virtutum, vitiorumque locupletiſſimam affert ſilvam; exemplisque roborat, abſterret a vitiis, ad virtutem & generoſos conatus maſcule inuitat, frequens & ſollicitus Deorum cultor. Vni forſan culpae ſuccumbit, quod dum ex variis decerpit, & iis quandoque ſibi contrariis, non ſemper ſibi conſtet. His adde, quod ſubinde adulator deprehendatur. Luculentae edi-

(h) Amſtelod. 1661. III. volum. in 12mo.

(i) Lugd. Bat. 1670. cum notis *variorum* III. vol. 8uo. In vſum *Delphini* edidit *Dan. Criſpinus*, Pariſ. 1689. VI. vol. in 4to.

editiones ſunt *Ant. Thyſii* (a), & *Ioh. Vorſtii* (b).

19. PHAEDRVS Thrax, aeuo Tiberii inclaruit, notus exquiſitiſſimis illis iambis, quibus *fabulas Aeſopicas* illigauit, libere in corruptos ſeculi ſui mores inuectus. Hunc qui Oct. Augusti libertum faciunt, non ſatis aduertunt artes Seiani ab eo delibatas, quas vtique imperium Tiberii tandem aperuit. Dictio eius laeta eſt, lecta, & probe Latina, nec indigna, quam imitentur munditiae Romanae candidati. Ex editionibus laudamus illam, quae e bibliotheca prodiit *Tanaquilis Fabri;* (c) emendatiorem tamen propediem exſpectamus e manu *Marquardi Gudii,* praelo iam maturam.

20. VELLEIVS PATERCVLVS principatu Tiberii, anno Chriſti circiter trigeſimo, clarus, duos *hiſtoriarum* libros reliquit, qui licet hinc inde mutilati ad nos peruenerint, produnt tamen illu-

(a) Lugd. Bat. 1670. in 8uo. cum notis *variorum.*

(b) Berolini 1672. 8uo. In vſum *Delphini* illuſtrauit *Ioſephus Cantelius.* Pariſ. 1679. 4to.

(c) Salmuri 1665. 8uo. Nec illaudata editio *Ioh. Schefferi*, cum ſuis & *Fr. Guieti* notis, Argentor. 1673. 8uo. Compta ſatis & nitida eſt editio *Ioh. Laurentii*, cum excerptis *variorum* notis & figuris aeri inciſis, Amſtelod. 1697. 8uo. Longe vero praeferenda eſt cura *Petri Burmanni*, qui hunc auctorem cum integris *Marquardi Gudii* (ineditis illis) & aliorum commentariis publicauit Amſtelodami 1698. 8uo. In vſum *Delphini* adornauit *Petrus Danetus*, Pariſ. 1675. in 4to.

illuſtre ingenium. Dictio eius arguta, profluens, ſuauis, plane Romana. Notantur in hoc ſcriptore crebra acumina, acre iudicium, lecta epiphonemata. Eruit conſiliorum arcana prudenter, euentus narrat, laudes bene merentium graphice ſubiungit, nec parcit vel malis, vel ambiguis, ſubinde etiam ab inſtituto digreditur, ſed nec longe, nec inconuenienter, vt adeoque inter hiſtoricum & panegyricum medius eſſe videatur. Neque eſt, quod fidem deſideres, niſi cum in depingenda domo Auguſta verſatur, ibi enim Tiberio, Seiano, Liuiae ſeruiliter adulatur, Germanicum, aliosque quibus infenſior Princeps, oblique premit, alia celat, quaedam detorquet. Commendatior editio *Boecleri* (d) & *Anton. Thyſii* recentior. (e) Pomponivs Mela Hiſpanus, principatu Claudii Imperat. celebris tres libros ſcripſit *de ſitu orbis*, doctos ſane, & ſic ſatis accuratos, in quibus flores oratorios nemo exſpectet, quippe circumciſe inſtitutum perſequitur, & preſſe in docendo, narrandoque occupatur, nihil

(d) Argentorati 1663. in 8uo.

(e) cum notis *variorum*, Lugd. Bat. 1668. 8uo. In vſum *Delphini* edidit *Robertus Riguez*, Pariſ. 1675. 4to. Quoad textus integritatem commendatiſſima editio *Nic. Heinſii*, Amſtel. 1678. 12mo, caſtigationum libello comitata. Laudatur & editio *Oxonienſis*, cum *Henr. Dodwelli* Annalibus Velleianis, & vberrimo indice, cura *Charletti* 1693. in 8uo.

nihil tamen in eo ſordidum, negligens, ſoloecum, vt fruſtra putauit *Claud. Verderius.* Praeſtantiſſimam *Melae* editionem cum eruditis obſeruationibus publico communicauit *Iſaacus Voſſius* (f).

21. Ivnivs Moderatvs Colvmella, Gaditanus; floruit Claudii Imp. temporibus, librosque XII. *de Re Ruſtica,* cum vno, *de Arboribus,* ad poſteritatem transmiſit; cultus, prudens, diſertus ſcriptor, &c, quantum patitur argumentum, eleganter ſententioſus; dignus qui frequenter in manus veniat patrumfamilias, & linguae Latinae ſtudioſorum. Illi adiungitur Palladivs Rvtilivs Tavrvs Aemilianvs, cuius *de Re Ruſtica* l. XIV. ſuperſunt, primus de praeceptis Rei Ruſticae, ſequentes XII. inſcribuntur nominibus menſium, ita vt Ianuarius liber ſecundus numeretur, Februarius tertius, &c. Tandem vltimus hiſtoriam inſitionum tradit. Doctus & hic Auctor, facundus, ſtrictus, proprietatis amans, ſed vt paullo Columella aetate inferior eſt, ita & nonnunquam dictione (g). Columellae aequalis aeuo Av-

Relivs

(f) Hagae Comitis 1658. 4to. Nec improbanda vltima *Iac. Gronovii* editio, Lugd. Bat. 1669. 8uo. cum *Ravennate* Geographo, & numis hiſtoriam illuſtrantibus.

(g) Columellam cum reliquis Rei Ruſticae Scriptoribus accurate edidit *Hieron. Commelinus.* 1595. 8uo.

relivs Cornelivs Celsvs, octo libros *de Re Medica* reliquit, vt ex artis inſtituto ſapienter, ita dictione elegantiſſima, & proinde non immerito eum Medentes appellant ſuum Tullium, & Latinum Hippocratem. Inter editiones commendatur illa *Hieremiae Thriuerii* (h). Cultior tamen eſt *Lindani* (i), ſi ea excipias, quae ex ingenio potius, quam ex fide exemplarium bonorum emendauit.

22. L. Annaevs Seneca, Neronis olim praeceptor, profeſſione Stoicus, praeter ea, quae periere, reliquit libros tres *de ira* compeſcenda, vnum *de prouidentia,* vnum *de animi tranquillitate, de clementia* duos, vnum *de breuitate vitae, de vita beata* vnum, *de beneficiis* ſeptem, *de quaeſtionibus naturalibus* ſeptem, *epiſtolas* CXXIV. Accedunt, quae *de conſolatione* ſcripſit ad Heluiam matrem, quae ad *Polybium, ad Marciam, de conſtantia ſapientis, de* Αποκολοκυντώσει *Claudii Imperatoris.* Dictio eius maſcula, incitata, conciſa, ſententiae crebrae, vibrantesque iudicium acerrimum, copia locuples, vnde eandem ſententiam aliis atque aliis verbis ſaepe exprimit: nihil tamen fere dicit in Philoſophia Stoica, quod non itidem Epictetus in breuiſſimo ſcripto, gra-

(h) Lugd. Bat. 1592. in 4to.

(i) ibid. 1665. 12mo. Commendatior adhuc editio *Theod. Ianſ. ab Almeloueen, Rob. Conſtantini, Iſ. Caſauboni,* aliorumque Scholiis illuſtrata, Amſtelod. 1687. in 12mo.

grauius tamen omnia, facundius, & magis ſententioſe. *Caligulae* non placuit, vt cui ſcripta Senecae *harena* erant *ſine calce;* nec *Quint l ano*, quod rerum pondera minutiſſimis fregerit ſententiis: .minus adhuc recenti *ſcriptori Gallico*, qui ita: *Dictio Senecae*, inquit, *nil habet ſimile ſeculo Auguſti, nil facile, nil naturale; omnia acumina, & meditationes redolent magis calorem Hiſpaniae, aut Africae, quam lumina Graeciae, aut Italiae. Vides ibi conciſa multa, quae videntur ſententioſa, ſed ſine ſoliditate, quae pungunt ingenium magis, quam probantur iudicio.* Quae omnia vt non ſunt de nihilo, ita hoc tantum perſuadent, Senecam non legendum tyronibus, ſed quibus firmius iudicium: multa enim in eo ſunt probatiſſima, multa etiam admiranda, quod diffiteri nequit *Fabius*. Quod ad Gallum, is vt in Hiſpanum natura obliquior, paulo auſterius iudicat de homine non ſui palati. Ex editionibus nulla emendatior quam *Amſtelredamenſis* illa anni 1672. (k).

23. Senecam Tragicvm eundem eſſe, qui Philoſophus, doctorum plerique hodie conſentiunt. Eſt autem in Tragico illo dicendi genere purus, grauis ſono, ſpiritu, & maieſtate ſtyli nulli Graecorum ſecundus. Tragoediae eius hae ſunt, *Hercules furens, Thyeſtes, Phoeniſſae, Hippolytus, Oedipus, Troades, Medea,*

(k) cum notis *Ioh. Frid. Gronouii* & *variorum*, III. vol. in 8.

dea, *Agamemnon*, *Hercules Oetaeus*, *Octauia*. Proba eſt editio *Ant. Thyſii* (l), ſed longe accuratior *I. Fr. Gronouii* (m). Huius Senecae parens M. ANNAEVS SENECA Rhetor, varia ſcripſit, ex quibus ſupereſt *Suaſoriarum* liber vnus, *Controverſiarum* libri V. cum variis controuerſiarum excerptis, in quibus dictio ſatis nitida, ſed conciſa, & ſubinde velut ex inopinato arguta, grauis, plena iudicii: Controuerſiae tamen non videntur vltimam limam recépiſſe, ita hiant nonnunquam ſententiae, & in abrupta exeunt. Eſt & hic laudatiſſima editio *Amſtelred.* illa anni 1672. cum *Schotti*, *Gronouii* & aliorum commentariis.

24. M. ANNAEVS LVCANVS, principatus Neroniani poëta, epico carmine librorum X. perſcripſit *Pharſaliam*, hoc eſt, bellum illud ciuile Pompeium inter & Iul. Caeſarem, quod in campis potiſſimum Pharſalicis detonuit: in quo dictio maſcula eſt, ſed durior, & ſubinde tumida, ſententiae crebrae, ſaepe Stoicae, monita politica frequentia. Seuerior tamen in eum *Scaliger*, qui *latrare quandoque Lucanum potius quam canere* ſcribit. Morte interceptus vltimam manum operi non addidit. Expungunt eum Ariſtotelis diſcipuli e numero Poëtarum, quod

(l) Lugd. Bat. 1651. in 8uo, cum notis *variorum*.
(m) ibid. 1661. in 8uo. Auctior Amſtelod. 1682. cum locupletiſſimo indice, accurante *Iacobo Gronouio*.

quod in vero argumento diligentiam ſuam declarauit; ſed certum eſt, Ariſtotelem non excludere verum argumentum, dummodo epiſodiis & veriſimili ſuo coloretur. Saepe autem vera non ſunt veriſimilia, & his ſolis *Stagirites* epos negat conuenire. Editio *Th. Farnabii* non diſplicet, vt nec *Schreuelii* (n). *Theod. Pulmannus* locupletem adiecit indicem.

25. Avl. Persivs Flaccvs, imperante Nerone, librum ſatyrarum ſex elucubrauit, magno vtique animo & impetu, aeui ſui vitia perſtringens. Dictio eius obſcurior, quam ſatyrae conuenit, & ſubinde tumidior, quandoque tamen & ſatis clara, & illuſtribus monitis foecunda. In edendo Perſio laudatiſſime deſudauit *Iſaac. Caſaubonus* (o) & *Th. Farnabius*. Asconivs Pedianvs principatu Flau. Veſpaſiani clarus in gratiam filiorum *annotationes* reliquit *in Orationes* quasdam *Ciceronis*, in tres Verrinas, & quartae initium, in Orationes pro Cornelio, Scauro, Milone, item contra Antonium, Catilinam, Piſonem. Dictio eius perſpicua,

(n) Amſtelod. 1669. in 8uo, cum notis *Variorum* & indice *Pulmanni*. Luculentiorem adhuc editionem promiſerat *Ezech. Spanhemius*.

(o) editio Perſii *Caſauboniana* prodiit Pariſ. 1605. in 8uo. cum eruditiſſimis commentariis; apparatus reperita eſt Londini 1647 in 8uo. auſpiciis *Merici Caſauboni F.* Alias editiones Perſii eaedem laudantur, quae Iuuenalis, cui ſaepius adiungi ſolet.

ſpicua, breuis, temperata; non inquirit in ſchemata orationis, ſed illuſtrat loca Tullii obſcuriora, adeoque ad intelligendam eius aeui hiſtoriam oppido conducit. Quae *Aſconii* ad nos peruenere, adhuc mutila hinc inde ſunt, immo adulterina quaedam iis permiſta, quae ſeparare hodie difficillimum. Ex reliquis integrior hactenus cenſetur editio *Lugduno-Bataua* Anni 1644 (p).

26. Q. CVRTIVS RVFVS rerum potiente Veſpaſiano illuſtris, *hiſtoriam Alexandri Magni* X. libris proſecutus eſt, quorum duo priores iniuria temporum periere. Dictio eius terſa, natiua, inaffectata, verbo, emendatiſſima: lactea illi eloquentiae vbertas, ſententiae opportunae, nec nimiae, nec diffluentes, nec tenebroſae; digreſſiones rarae, orationes facundae, iudicium ſagax. Neque monita politica negligit, quoties patitur argumentum, neque celat quicquam per inuidiam, aut aſſentationem. Nactus enarrandum Principem bellis praecipue intentum, victorias eius, conſilia priuata graphice depingit, nec tamen deſinit Ducum, militumque officia, coniurationum, inſidiarumque cauſas & remedia, ingeniumque aulae Alexandri oculis clare ſubiicere. Quin & id ad lau-

(p) in 12mo, cum notis *Fr. Hotomanni* & aliorum. Comparet etiam in editione operum Ciceronis *Iac. Gronouii*, in qua Orationibus ſtatim ſubiiciuntur notae *Aſconii*.

laudem Curtii pertinet, quod *Scioppius*, qui in pleriſque Antiquorum inuenit, quod caſtigaret, omnia Curtiana qua ſtylum, qua in diſponendo prudentiam, commendet. Editio *Loccenii* mendis ſcatet, melior *Freinshemii* (q) copioſior *Amſtelredamenſis* An. 1673. cum notis *Variorum* (r).

27. C. PLINIVS SECVNDVS Tito Veſpaſiano familiaris reliquit *Hiſtoriae naturalis* libros XXXVII. ex quibus tamen liber primus non eſt fere niſi index totius operis. Excuſat dictionis ſuae ſterilitatem, quod legentibus non blandiatur, quod vitam humanam narret ſordidiſſima ſui parte, quod via ſcriptoribus Romanis nondum trita incedat, ſed non indiget excuſatione; plane enim cultus eſt ſtylus eius, electus, & mirificae induſtriae. Mendacium ipſi ſaepe impingunt hodierni ſcriptores, ſed parum modeſte, non enim ille tam mendacii, quam credulitatis nimiae reus eſt, quippe Graecis, vnde pleraque ſua hauſit, plus tribuit, quam ne-

(q) qui eruditiſſima ſua editione, commentariis & indicibus comitata conſummatiſſimis, optime de Curtio meritus eſt; prodiit Argentorati 1640. II. volum. in 8uo. & deinde 1670. in 4to.

(r) in 8uo. Commendatur & editio *Sam. Pitiſci*, recentior, Vltrai. 1693. in 8uo. cum figuris aeri inciſis & excerptis commentariis. Nec faſtidienda editio *Chriſtoph. Cellarii*, cum notis ſupplementis & tabulis Geographicis, Lipſiae 1696. in 12mo. In vſum *Delphini* adornauit *Mich. de Tellier*, Pariſ. 1678 in 4to.

neceſſe erat. Infinita tamen optime & ſapientiſſime definit, ſententiis etiam creber, praeſertim in librorum praefationibus, quibus tamen nonnunquam imperioſum quiddam aſpergit. Grauiora eius vitia ſunt, quod mundum ſtatuat aeternum, & animas hominum mortales. Potuiſſet certiora didiciſſe a Poëtis, a Philoſophis antiquis, ſed qui totos dies vacabat negotiis Principis, & noctem tantum vendicabat contemplationibus naturae, vt ipſe agnoſcit, non mirum, ſi in tam reconditae ſcientiae articulo obrepentem ſomnum expertus ſit. Proba editio eſt *Io. de Laet* (s), floridior *Hackiana* Anni 1669 cum *variorum* commentariis (t). Textui plurimum lucis addidit *Salmaſius* Exercitat. in Solinum (u).

28. C. Silivs Italicvs eo quidem anno Romanus Conſul, quo Nero interiit, ſed ſenior ſcripſit epos librorum XVII. *de bello Punico Secundo*, quod Domitiani tandem principatu euulgatum eſt. In quo ſcripto veritati ſtuduit, parcus in fingendo, non tamen neglexit colores Poëticos, digreſſiones, ſimilitudines, conciones, & caetera lumina. Ingenioſiſſimum non

(s) Lugd. Bat. 1635. III. volum. in 12mo.

(t) edente *I. Fr. Gronouio* III. volum. in 8uo. In vſum *Delphini* publicauit *Ioh. Harduinus*, Pariſ, 1685. V. volum. in 4to.

(u) Pariſ. 1629. in fol. & deinde auctius Traiecti ad Rhen. 1689. in fol.

non fuiſſe ſatis apparet, ſed ſi quid defuit ingenio, id induſtria, & conquiſito vndique dictionis nitore ſtuduit penſare. Abeſt tamen a facilitate Naſonis, & a ſplendore Virgilii. Delituit in tenebris ad memoriam auorum noſtrorum, inde *Petrarcha* idem argumentum carmine perſequi inſtituit, *Silio* tamen impar. Ex editionibus hactenus probatior *Cl. Dauſqueii* (x) *& Dan. Heinſii* (y).

29. Domitiano Remp. lacerante C. VALERIVS FLACCVS, *Orpheos & Apollonii* exemplo, *Argonautica* aggreſſus eſt, & libris VIII. complexus, epico verſu, docto ſane & ingenii pleno, ſed per immaturam auctoris mortem, non ſatis exaſciato. Felix in eo calor, generoſi impetus, iudicium plerumque acre, dictio floridula, ſed aliquando velut hiulca, inaequalis, & duriuſcula. Commendatur editio *Lamp. Alardi* (z), & *Io. Weitzii.* Eadem tempeſtate inclaruit M. VALERIVS MARTIALIS, notus XIV. libris

(x) Pariſ. 1618. in 4to. cum commentariis.

(y) ex officina Plantiniana 1600. in 16mo. cum Crepundiis Silianis, ſiue annotationibus. Optime hunc auctorem recenſuit, & adiectis notis tabulisque Geographicis illuſtravit *Chriſtoph. Cellarius*, Lipſiae 1695. in 12mo.

(z) Lipſiae 1630 in 8uo. cum notis *Weitzii* & aliorum. Quoad textus integritatem optime operam nauauit *Nic. Heinſius*, Amſtelod. 1680. in 12mo, & deinde cum animadverſionum libello, Traiecti Batau. 1702. in 12mo, edente *Petro Burmanno.* Laudatur & editio *Pariſienſis* 1698. in 8uo. apud Carolum Osmont, ſub titulo *Hiſtoriae Argonautarum.*

libris *epigrammatum;* in quibus pleraque arguta ſunt, & ſalſa; non pauca tamen obſcoenitate putida, indigna quae caſtis oculis obuerſentur: Vnde *Ingolſtadienſis* editio, a Ieſuitis procurata foeditatem illam merito circumcidit. *Spectaculorum* liber *Martialem* auctorem non agnoſcit. In edendo hoc ſcriptore plures contulere ſymbolam, ſed nemo intelligenter magis quam *Farnabius* & *Schreuelius* (*). Eodem fere tempore D. IVNIVS IVVENALIS, Martialis amicus, argumento ſatyrico omnes Romanos prouocauit, amarior Horatio, Lucilio mitior, Perſio denique apertior; acutus vbique & ſolers inuentione, diſpoſitione, & nexu dicteriorum; ſed, dum ad omnia cenſenda ſtylum porrigit, ſaepe turpis, obſcoenusque deprehenditur. Nonnunquam etiam philoſophandi ſtudio vltra ſatyrae inſtitutum progreditur, quo nomine memorabilis eſt ſatyra decima; decima quinta ſatyra in ſuperſtitiones Aegyptiorum inuehitur. Decima ſexta, ſiue vltima, an Iuuenalis ſit, ambigitur, & pluribus veriſimilior eſt ſententia negans. Etiam hic ſatisfacit editio *Farnabii,* & *Schreuelii* (**)

30. C.

(*) Lugd. Bat. 1670. in 8uo, cum notis *Variorum.* Rariſſima & accuratiſſima Martialis editio eſt *P. Scriuerii,* Lugd. Bat. 1619. in 12mo. In vſum *Delphini* vulgauit *Vincentius Coloſſo,* Pariſ. 1680. in 4to. Laudatur index in Martialem *Ioſephi Langii,* Argentinae 1595. in 12mo.

(**) Lugd. Bat. 1671. cum notis *Variorum.* Melior tamen

Am-

30. C. Cornelivs Tacitvs, ſub Veſpaſianis quidem floruit, ſed ſcripſit potiſſimum Traiani principatu. Praeter opera eius, quae periere, reſtant *Annalium* libri primi ſex, deinde vndecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quartus, decimus quintus, decimus ſextus. Item *Hiſtoriarum* eius libri quinque, & tandem eiusdem *Germania*, atque *vita Iulii Agricolae.* Dictio eius acuta, efficax, conciſa, & fere nimium meditata, floridior in Hiſtoriarum libris; preſſior, aridiorque in Annalibus, grauis tamen vbique, & ſenſum longius quam verba proiiciens: nonnunquam & obſcurior, niſi admodum ingenioſis lectoribus, & qui aularum mores norunt. *Scioppio* ſordet, vt nimis vafer, & malignae politices magiſter, vt ſuſpicionum architectus, vt ſententiarum creberrimus auceps. *Famiano Stradae* improbatur, vt malitioſus geſtorum interpres, vt dictione poëtica tumens, vt parum germanae fidei. *Maſcardo* diſplicet, vt in praeceptis modum excedens. Nec poteſt *Tacitus* ab omni crimine ab-

Amſtèlod. 1684. in 8uo, omnium verborum indice aucta. Nec male de Iuuenale & Perſio interpretatione ac notis meruit *Ioſephus Iuuencius* e Soc. Ieſu, Rothomagi 1679. in 12mo. In vſum *Delphini* edidit *Ludou. Prateus*, Pariſ. 1684. in 4to. Optima editio eſt *Henr. Chriſt. Henninii*, cum integris *variorum* commentariis, omniumque vocabulorum indice, Vltraiecti 1685. & deinde apparatius Lugd. Bat. 1696. II. volum. in 4to. Laudatur & hic index in Iuvenalem *Ioſephi Langii.*

abſolui, quomodocunque ipſum extollat *Lipſius;* eſt enim reuera ſtylo Poëtis vicinior, & phraſium Romano candori inuſitatarum faber; fabulatur aliquando, praecipue libro V. hiſtoriarum, vbi de origine Iudaeorum diſſerit, item Annal. l. XV. de Chriſtianis, ſed interea diffiteri nemo poteſt, quin mirifice acuat legentium ingenia, quin aularum ſecreta pandat ſagaciter, quin Oratoribus, etiam in ſterili argumento cauſas amplificandi inueſtigantibus facem praeferat. Suſpicacem ipſum facilius pronunciant, quam probant inimici. Sed & quid Germania eius veracius, grauiusque? quid prudentius diſſertatione de Agricola? Editio Taciti Gruteriana (***) laudabilis, praeſtat tamen *Amſtelredamenſis* anni 1672. cum notis & commentariis *Variorum* (1).

31. M. Fabivs Qvintilianvs, Domitiani principatu clarus, *Inſtitutionum Oratoriarum* libros XII. concinnauit, in quibus totam artem Rhetoricam erudite, & ſubtiliter perſequitur, praeceptis, exemplisque locuples, dictione copioſus, incitatus, politus, facundus. Quam

(***) Francof. 1607. 8uo, cum B. Rhenani & aliorum notis.

(1) II. volum. 8uo, curante *I. F. Gronouio.* Nihil accuratius & ad vſum accommodatius editione *Berneggero-Freinsbemiana*, Argentor. 1664. in 8uo. Laudabilis & editio *Theod. Ryckii*, cum animadu. Lugd. Bat. 1687. II. vol. in 12mo. In vſum *Delphini* adornauit *Iulius Pickon*, Pariſ. 1682. IV. volum. in 4to.

Quam laudem ei hoc libentius tribuimus, quo certius eſt multorum annorum in illa harena experimentis firmatum, adeoque vere artificem, haec ſcripſiſſe. Morbum eius quendam taxat *Barthius*, quod frequentius in alios invehatur, quam neceſſe eſt, vt auctoritatem ſuam ſtabiliat magis. Vnum *Fabii* monitum optarem hodie ſcribentium animo fortius imprimi, quo declarat, fugiendum eſſe vitioſum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſciuit, aut tumore immodico turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur, aut caſuris, ſi leniter excutiantur, floſculis nitet, aut ſpecie libertatis inſanit. Auus Quintiliani, qui itidem M. FABIVS QVINTILIANVS appellatus eſt, *Declamationes* illas CXLV, quae vulgo circumferuntur, ſcripſit, iudicio *Pithoei*. Sed nouendecim aliae, quas Rhetoricis Fabii adiungere ſolent, nec aui ſunt, nec nepotis, & ſtylo diſſimiles, ſed ad *M. Florum*, vel *Poſthumium* quendam referuntur. *Quintilianorum* opera nusquam hactenus fideliori cura edita ſunt, quam *Lugd. Batau.* apud Hackium Anno 1665. cum *Pithoei, Gronouii* & *aliorum* notis (2).

32. SEX-

(2) II. volum. in 8uo, curante *Petro Galandio*. Inſtitutiones Oratorias quamplurimis locis poſtea emendauit *Vlricus Obrechtus*, Argent. 1698. 4to.

32. Sextvs Ivlivs Frontinvs, ſub Veſpaſianis Praetor, ſub Nerua praefectus aquarum, ad Traianum vsque vitam extendit, vt cui quatuor libros *Stratagematum* dedicauit. Scripſit & libellos duos de *Aquaeductibus*. In vtroque opere perſpicuus eſt, ſerius, minime verboſus, nec dictio inelegans. Diſcrepat quandoque in narrationibus rerum ab aliis ſcriptoribus, dubium errore, an conſilio. Reſtant & Fragmenta quaedam eius *de qualitatibus agrorum, de limitibus, de colonis*, ſed mutila, & variis perperam aſſutis inquinata. Adſcribitur quoque eidem ſcriptum quoddam vulgatum *de Re militari*, quod ob dictionis neglectum, vel oportet *Frontini* non eſſe, vel ab aliis foede corruptum. Caſtigatior hodie editio eſt *Rob. Keuchenii* (3). Papinivs Svrcvlvs Statius, Domitiano gratus, reliquit V. *Sylvarum* libros, XII. *Thebaidos*, *Achilleidos* duos: in omnibus dictio electa, magnifica, calamiſtrata; purior tamen & magis natiua in Sylvis; in Thebaide nonnunquam tumidior, inaequalior in Achilleide. Tyronibus ſolus non eſt legendus, ſed ſimul cum Marone, vt a *Statio* alacritas, & calor dictionis accedat, maturitas

(3) cum notis, Amſtelod. 1661. in 8uo. Textum adiectis breuioribus notis fideliter emaculauit *Sam. Tennulius* Lugt. Bat. 1675. in 12mo.

turitas ſedata a *Marone*. *Statium* curioſe edidit *I. Veenbuyſen* (4) & *Daumius* (5).

33. C. Plinivs Caecilivs Secvndvs, aliis Plinius Iunior, a Traiano libellorum ſupplicum conſtitutus Magiſter, *Epiſtolarum* libros decem exarauit, in quibus dictio ſine pompa elegans, ſine digreſſionibus maſcula & cordata. Scriptor candidus, vir bonus, & boni Principis, boni Politici imaginem animo repraeſentans; Chriſtianorum etiam in acerrima perſecutione fautor. In *Panegyrico* ſuo, Traiano inſcripto, ita diſerte, prudenterque ex vſu Reip. Rectorumque verſatus eſt, vt meliorem Orationem, & luce digniorem vix vllum ſeculum procuderit. Laudatiſſima editio eſt *Ioh. Veenhuyſen* cum notis & commentariis *variorum* (6)

34. L. Annaevs Florvs, circa vltima principatus Traiani, & poſtea clarus, compendium ſcripſit *Hiſtoriae Romanae* libros quatuor, diſerta quidem & arguta dictione, ſed quae ſaepe Poëtae, ſaepe declamatori conuenientior eſt, quam hiſtorico, ita ſolenne ei ſententias acu-

(4) Lugd Bat. ex offic. Hack. 1671. in 8uo, cum notis *Variorum*.

(5) Cygneae 1664. II. vol. in 4to. Nouiſſime in vſum *Delphini* adornauit *Claudius Beraldus*. Pariſ. 1684. in 4to

(6) Lud. Bat. 1669. in 8uo. ſc. de Epiſtolis. Panegyricus ſeorſum cum *Dom. Baudii* & *variorum* notis editus eſt Lugd. Bat. 1678. in 8uo. Nec illaudata editio *Oxonienſis* 1686. in 8uo, notis comitata; item *Cellariana*, cum obſeruationibus, Lipſiae 1693. in 12mo.

acumine claudere, & ſplendoris magis, quam veritatis & temporum rationem habere. *Epitome Liuiana,* quae Floro adſcribi ſolet, vix Flori eſt, cum ſubinde narratio Flori a Liuiana diſcrepet. Editio accuratior *Freinſhemii* (7) & *Elzeuiriorum* anni 1638. (8). C. SVETONIVS TRANQVILLVS floruit regnante Traiano, & poſtea celebris adhuc, propter *XII. Caeſarum primorum Vitas* (*), quas incorrupta fide (niſi cum de Chriſtianis agit) & ſtylo amabili deſcripſit. Autor diligens, candidus, neruoſus, & vel hoc nomine neceſſarius, quod claram reddat vetuſtatis Romanae imaginem, quod multas leges, ritus publicos, priuatos, fori & curiae voces, edicta, ſenatus conſulta, alibi incaſſum quaeſita ingenue recenſeat. Vnum in eo damnat *Maſcardus*, quod nimis diſerte abominanda Principum ſuorum, oculis legentium obiiciat, neque enim eſſe hiſtorici ad minutias crimi-

(7) Argentor. 1669. in 8uo, cum notis & indice.

(8) in 12mo. Praeſtat tamen editio *Elzeui[illegible]na* 1672. in 8uo. cum notis *Variorum*. Floridior editio *Wetſteniana*, Amſtelod. 1692. in 8uo. cum integris *Salmaſii*, *Graeuii*, *Freinſhemii* & aliorum notis, variisque numorum iconibus. In vſum *Delphini* publicauit *Anna Tanaquilli Fabri filia*, Pariſ. 1674. in 4to. Nouiſſime ſplendidiſſimam Flori editionem adornauit *Laur. Begerus*, Colon. Brandenb. 1704. in fol. figur. aeneis, ampliſſimisque commentariis illuſtratam.

(*) ſcil *Iul. Caeſaris*, *Octau. Auguſti*, *Tiberii*, *Caligulae*, *Claudii*, *Neronis*, *Galbae*, *Othonis*, *Vitellii*, *Veſpaſiani* vtriusque, *Domitiani*.

criminum deſcendere, & vultum lectoris foetoribus contaminare. Sed *Suetonio* non tam inſtitutum fuit hiſtoriam Imperatorum deſcribere, quam priuatam vitam, quam & ea libertate figurauit, qua vixerunt ipſi. Nec laude carent, quae *de illuſtribus Grammaticis*, & *claris Rhetoribus* attigit. Inter editiones recentiores eminet *Schildii* (9).

35. Sunt qui referant *Hyginum* & *Corn. Seuerum* ad aetatem auream, *Scribonium*, *Dyctin*, *Petronium* ad argenteam, de quo hic paucis dicendum. Et quidem ſatis conſtat C. IVLIVM HYGINVM ſcriptorem fuiſſe Octau. Auguſti aeuo; ſed an *Poëticon* illud *Aſtronomicon*, & *Fabulae*, quae nomine eius circumferuntur, antiqui illius Hygini ſint, an recentioris, iuſte dubitatur. Certe dictio eius humilis eſt, tenuis, & fere plebeia, nec ſatis hinc inde a barbarismis libera, quam ideo *Schefferus*, recens editor, in aeuum Antoninorum reiicit, & *Th. Munckerus*

(9) Lugd. Batau. 1667 in 8uo, cum notis *Variorum*. Ornatior & copioſior editio *Sam. Pitiſci*, cum ſelectis annotationibus & elegantiſſimis iconibus, Traiecti ad Rhenum 1690. II. volum. in 8uo. Laudabilior eſt editio I *G. Graeuii* cum integris *Iſ. Caſauboni* & aliorum notis, ac locupletiſſimo *Berneggeri* indice, Traiecti 1672. in 4to, quae editio repetita eſt Hagae Comitis 1691. auctior illa quidem & additis iconibus elegantior, ſed minus emendata. In vſum *Delphini* publicauit *Auguſtinus Babelonius*, Pariſ. 1684. in 4to.

rus Prudentio facit poſteriorem (10). CORN. SEVERI ſola *Aetna* ſupereſt, epos quidem optimi ſeculi, ſed parum elimatum, eoque Poëſeos Candidatis minus vtile (11). SCRIBONIVM LARGVM principatu Tiberii & Claudii floruiſſe certum eſt, an tamen dictio *Compoſitionum Medicarum* priſci illius *Scribonii* ſit, ambigunt, cum oppido humilis, & inficeta deprehendatur. In gratiam tamen illuſtris *Ioh. Rhodii* noſtri credemus, ſtylum quidem eſſe Veteris illius *Scribonii*, ſed vitio librariorum hinc inde contaminatum, dum nobis iterum largiatur, pure loquendi leges ab illo ſcriptore non poſſe quenquam hodie ſatis fidenter mutuari (12). DICTYN CRETENSEM ad aetatem Velleii, aut Curtii refert *Scioppius*, ſed ſtrepera eius, & auri tereti inuſitata dictio perſuadet aliud; quin & barbaram ſubinde notare licet, vt propterea *Voſſius* non inique ſcriptorem hunc infra aeuum Conſtantini Magni damnauerit, atque *Septimium* quendam Romanum tradiderit ſtyli autorem (13).

36. PE-

(10) Inter editiones eminet Hamburgenſis *Schefferi* 1674. in 8uo, & Amſtelod 1681. II. volum. in 8uo, cum reliquis Mythographis Latinis, a *Th. Munckero* illuſtratis.

(11) Apparet in *Appendice Virgilii*, Lugd. Bat. 1617. in 8uo.

(12) Praeſtantiſſimam Scribonii editionem cum notis & Lexico publicauit *Ioh. Rhodius*, Patauii 1655. in 4to.

(13) Ex editionibus laudatur *Argentoratenſis* illa 1691. in 8uo. cum *Merceri*, *Barthii*, *Obrechti*, & *Pauli Vindingii* No-

36. Petronivs Arbiter, Neronianas noctes inter flagitia conſumptas expreſſiſſe putatur noto *Satyrico*, & ex loco *Taciti* Annal. libr. XVI, conſcius, immo laudator fuiſſe ſcelestarum Neronis delitiarum. Sed re altius expenſa, apparet omnino alius fuiſſe Neronianus Petronius, alius hic Satyricus, cuius inſtitutum non eſt, vnius inſaniam depingere, verum laeta & amoena ſimplicitate enarrare, quae ſuo tempore pudenda viderit in ſcholis, pulpitis, curia, templis, conuiuiis, tricliniis, cubilibus, itineribus, nauigiis frequentari, qualisque ex impura illa contagione euaſerit, & quid eo nomine ſuſtinuerint. Hunc ſcriptorem *Henr. Valeſius* Maſſilienſem facit, & infra Antoninorum aeuum detrudit, *Statilius* in tempora propemodum Conſtantini: ſunt tamen argumenta, quae ſeculo argenteo eum adſcribant, non parum veriſimilia; vtque illa non adeſſent, dictionis tamen venuſtas, elegantia, argutiae, non iniuria effecerint, vt inter eosdem ſcriptores adoptetur. Legendus tamen caſta mente, & cum horrore obſcoenitatis: habet ſane praeter faeces illas, multa, quae delectent, inſtruantque, nec dubitauit *Douza* carmen eius *de bello ciuili*

Notis, indiceque *Sam. Artopaei*. In vſum *Delphini* illuſtravit *Anna Tanaquilli Fabri filia*, Pariſ. 1688. in 4to, quam editionem adiectis reliquorum notis recudi fecit *Iac. Perizonius*, Amſtelod, 1702. in 4to. & 8uo, numismatibus etiam illuſtratam.

omnibus *Lucani* operibus praeferre. Editio *Blaeuiana* Anni 1669. hodie praeſtat, commentariis illuſtrata *variorum* (14). Laudatur & index Petronianus *Gonzal. de Salas. Fragmentum Tragurianum* an ſuppoſititium ſit, nondum ſatis inter doctos conuenit; id certum, laciniis ſpuriis abundare (15).

Aenea aetas.

37. In aetate *aenea* collocandus initio AVLVS GELLIVS, natus quidem Traiano Principe, ſed ſcripſit demum *Noctes* ſuas *Atticas* XX. librorum, imperante Antonino Pio: auctor diligens, vocum antiquarum vindex & cenſor incorruptus, Grammaticis, Criticisque neceſſarius. Eſt quoque, vbi eloquentiae, & Philoſophiae veteris guſtum praebet. Stylus tamen eius ex continuo priſci ſermonis aucupio horridulus, & a nitore argentei aeui alienior. Gellium caſtigatius vulgauere *Thyſius, & Oiſelius* (a).

API-

(14) accurante *Mich. Hadrianide*, in 8uo.

(15) *Fragmentum Tragurianum* ſuae inſeruit editioni *Mich. Hadrianides*. Seorſum quoque prodiit non ſemel; inter alias editiones laudatur *Th. Reineſii*, cum ſuis & *I. Schefferi* notis, Lipſiae 1666. in 8uo. Circumfertur & aliud Petronii *Fragmentum*, quod ex codice *Albae Graecae* reperto edidit *Franciſcus Nodotus*, Roterod. 1693. & apparatius Pariſ. 1694. in 8uo. Nae vero nouus hic foetus eruditio imponit orbi.

(a) Lugd. Bat. 1666. 8uo. cum notis *variorum*. Luculentior editio Lugduno-Batava 1687. iu 8uo. cum notis

&

Apicivs Caelivs, Hadriani principatu, de *Arte Coquinaria* libros X. concinnauit, in quibus lecta, & conciſa dictio, quaeſitique coloris expers; ſcriptor vtilis non tantum culinae, cuius tradit magiſteria, ſed & doctis, qui priſca Artis vocabula, nusquam alias obuia ad ſatiem hic inuenient. Editionem doctam procurauit *Hummelbergius* (b). M. Ivnianvs Ivstinvs, Antonino Pio imperante clarus, *epitomen hiſtoriae vniuerſalis* ex Trogi Pompeii opere contractam euulgauit libris XLIV. terſa & culta dictione; reuocandus non immerito ad aetatem argenteam, niſi faeces quaedam aeneae obſtarent. Eſt quoque in ſerie temporum non raro fallax, & in ſacra hiſtoria mire falſus. Epiphonemata eius vt frequentia, & egregia laudantur. Editio *Iuſtini* inſignis a *Ioh. Georg. Graeuio* donata eſt publico (c).

38. L. Apvleivs Madavrensis, principatu Antonini Pii celebris, feruorem Africae in ſcriptis ſuis diſſimulare nequit; vir doctus, ſed translationibus & fictionibus vocum, ſen-

D 3 ten-

& emendationibus *Ioh. Frid. Gronouii.* Textum emendatiſſimum exhibet editio Amſtelod. 1651. in 12mo.

(b) Tiguri 1542. in 4to. Meliorem editionem exſpectamus e pluteis *Cl. Mart. Liſterii*, Angli.

(c) Amſtelod. 1669. in 8uo. cum notis *variorum*. Sed apparatior editio Lugd. Bat. 1683. in 8uo, copioſiſſimo indice aucta. Nec faſtidienda editio *Ioh. Schefferi* cum notis & indice, Hamburgi 1678. in 12mo. In vſum *Delphini* adornauit *P. I. Cantel.* Pariſ. 1677. in 4to.

tentiarumque nimium audax, & in ſoluta dictione propemodum Poëta; obſcoenus etiam in *Metamorphoſi* ſua de Aſino Aureo, eoque duplici nomine indignus, qui legatur. *Apologia* eius, qua veneficii crimen a ſe amolitur, multum habet antiquae & reconditae eruditionis, ſtylum quoque emendatiorem. Nec *Philoſophica* eiusdem, aut *Florida* contempſeris. Bene de hoc ſcriptore meritus eſt *Pricaeus* (d). Eandem paene in vocabulis innouandis, mutandisque libertatem ſibi permiſit Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS, & is Afer, multae quidem & profundae eruditionis, ſed qui & ſubinde in fidei capitibus a reliqua Eccleſia diſceſſit, & dictione tumida, ſpinoſaque a munditie Latii: floruit *Seuero & Caracallo* Imperatoribus. Laudatur editio *Rigaltii & Pamelii* (e).

39. Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores ſex hic locum inueniunt; ex quibus AELIVS SPARTIA-

(d) Goudae 1659. in 8uo, ſc. de Metamorphoſi. Apologiam ſeorſum ediderat *Pricaeus* Pariſ. 1635. in 4to. Laudatur & editio Lugd. Bat. 1614. II. volum. in 8uo, cum *Phil. Beroaldi, Iſ. Caſauboni* & aliorum notis ac animaduerſ. item *Elmenhorſtiana*, cum *Rutgerſii* & alior. animadu. Francof. 1621. in 8uo. Textum accuratiſſime recenſuit *Petrus Scriuerius* Lugd. Bat. 1624. in 12mo. Nouiſſime in vſum *Delphini* edidit *Iul. Floridus*, Pariſ. 1688. II. volum. in 4to.

(e) Pariſiis 1663. fol. edente *Philippo Priorio* ſuis etiam adiectis notis.

TIANVS *Vitam* ſcripſit *Hadriani* Imperatoris, item *Aelii Veri, Didii Iuliani, Seueri, Peſcennii Nigri, Caracalli,* & *Getae:* IVLIVS CAPITOLINVS *Antonini pii, Marci Antonini, Veri, Pertinacis, Clodii Albini, Opilii Macrini, Maximinorum, Gordianorum* trium, *Maximi,* & *Balbini:* AELIVS LAMPRIDIVS *Commodi, Diadumeni, Elagabali, Alexandri Seueri:* VVLCATIVS GALLICANVS *Auidii Caſſii:* TREBELLIVS POLLIO *Valeriani* vtriusque, vtriusque *Gallieni, triginta Tyrannorum, Claudii:* FLAVIVS VOPISCVS *Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturni Proculi, Bonoſi, Cari, Numeriani, Carini.* Sed hi ſéx vtcunque amari aeſtimarique mereantur defectu meliorum, in multis tamen deficiunt, neque enim hiſtoriam ſuam ordine tradiderunt, neque ſtyli nitorem ſectati ſunt. Multa ab ipſis omiſſa, multa verboſa inculcata, quaedam confuſe tradita, nonnulla otioſe repetita. *Vopiſcus* tamen reliquis ordinatior. Ex his *Vulcatius* & *Trebellius* ſcripſere ſeculo Chriſtiano tertio, Diocletiano imperante, reliqui potiſſimum quarto, rerum potiente Conſtantino Magno. Prodiere hi ſcriptores erudite e bibliotheca *Caſauboni* (f), & *Salmaſii* (g), nitidius

(f) Pariſ. 1630. in 4to. cum commentariis.

(g) ibid. 1620. fol. cum iisdem *Caſauboni,* ſuisque obſervationibus.

dius e manu *Schreuelii,* (h), emendatius ab *Obrechti* (i).

40. Huius aetatis ſunt, *Obſequens, Solinus, Samonicus, Vlpianus, Calpurnius, Nemeſianus, Fannius.* Ex quibus IVLIVS OBSEQVENS, qui *de Oſtentis* ſiue portentis Veterum ſcripſit, aridior quidem eſt, ſed perſpicuus; in quo legendo fugienda *Lycoſthenis* additamenta, vt crudiora. (k). C. IVLIVS SOLINVS capitibus LX. *naturalem hiſtoriam* ſiue res toto orbe memorabiles attigit, exemplo & imitatione *Plinii,* & quidem ſubinde ſic ſatis incaleſcit dictione, ſaepe tamen e faece temporum haurit, ſaepe in rerum enarratione fabulatur (l). SERENI SAMONICI opuſculum *Medicum* hexametris expreſſum eſt, ſed humili & plebeio charactere. Addidit ei non nihil ſplendoris editor poſtremus *Rob. Keuchenius* (m). His nitidior, attentiorque ad curam dictionis DOMITIVS VLPIANVS, illuſtris ſub Antoninis & poſt-

(h) Lugd. Bat. 1661. in 8uo, cum notis *variorum* ſelectis.

(i) Argentor. 1677. in 8uo. cum caſtigationibus. Omnium inſtar eſt Lugduno-Bataua 1670. II. volum. in 8uo, cum integris *Iſ. Caſauboni, Cl. Salmaſii,* & *Iani Gruteri* notis.

(k) Commendatur editio *Ioh. Schefferi* cum annotationibus, Amſtelod 1679. in 8uo.

(l) Vt mittamus editionem Solini *Salmaſianam* cum vaſtiſſimis commentariis, laudatur *Gothana Andr. Reyheri* 1665. in 8uo, indice comitata.

(m) Amſtelod. 1669. in 8uo, cum notis & obſeruationibus.

poſtea, Iuriſconſultus (n). T. Calpvrnivs verſu heroico *bucolica* cecinit, ſtylo nec humili, nec tumido, ſed prudenter temperato. Cui aequalis aeuo M. Avrelivs Olympivs Nemesianvs itidem bucolicus Poëta, Afer gente, ſed Afrorum paene omnium dictione puriſſimus (o). Ex operibus Rhemnii Fannii nihil hodie ſupereſt praeter carmen hexametrum *de ponderibus, & menſuris*, atque illud ſatis triuiale (p).

41. Ammiani Marcellini Antiocheni ex libris XXXI. hodie XVIII. ſuperſunt Rerum geſtarum a *Conſtantino, Iuliano,* &c. Imperatoribus, praecipue in Oriente. In quo ſcripto multa prudenter monet, verboſior tamen ſaepe eſt, quam decet, ſaepe famam doctrinae aucupatur digreſſionibus intempeſtiuis, de terrae motuum cauſis, cometis, iride, aliis, ſaepe cothurnatus incedit contra decorum hiſtorici: ſed & verba eius non raro faeces temporum olent, & eorundem diſpoſitio alienior notatur. Res tamen ipſas ſatis bona fide expreſſit, & praelia, obſidionesque graphice depinxit, vt

(n) Exſtant eius Fragmenta in titulos XXIX. diſtincta, & Lugd. Bat. 1647. in 8uo edita.

(o) *Calpurnii* & *Nemeſiani* editiones eaedem laudantur, quae *Gratii Barthiana* ſc. & *Vlitiana*.

(p) Eſt in Poëmatis veteribus a *Pithoeo* collectis & editis Pariſ. 1609. in 4to.

quibus plerumque interfuit ipſe: praeterea de Chriſtianis illorum temporum modeſte ſentit, licet ipſe non Chriſtianus. Attigit & antiquitates, quas alibi fruſtra quaeſieris. De *Marcellino* optima editione, & annotationibus bene meritus eſt *Henr. Valeſius* (q). ARNOBIVS Afer, Diocletiano Principe, ſcripſit libros VII. *aduerſus Gentes,* in quibus Deos Ethnicorum diſertiſſime iugulauit; vt neophytus tamen ſubinde a veritate Chriſtiana aberrat: ſcriptor ſubtilis, facundus, & plurimae lectionis, ſed audacior nonnunquam in vocibus fingendis, immo & tota quandoque phraſi inſolentior, more Africanorum. Editionem praeſtantem publico donauit *Io. Maire* cum obſeruationibus *Elmenhorſtii* & aliorum (r). Huius diſcipulus L. COELIVS LACTANTIVS FIRMIANVS (quem ob elegantiam dictionis Tullium Chriſtianum vocant) reliquit *Inſtitutionum Diuinarum* libros ſeptem, *1 de falſa religione, 2 de origine Erroris, 3 de falſa ſapientia, 4 de vera ſapientia, 5 de*

(q) Pariſ. 1636. in 4to. melius tamen *Hadrianus Valeſius*, qui Ammianum cum auctioribus *Henr. Valeſii* notis, additis *Lindenbrogii*, ſuisque edidit Pariſ. 1681. in fol. Optime de Ammiano meritus eſt *Iac. Gronouius*, qui, praeter vtriusque *Valeſii* & *Frid. Lindenbrogii* notas, ſuas etiam adiecit & ſiguris elegantiſſimis ornauit, Lugdun. Bat. 1693. in fol. & minoribus typis, in 4to.

(r) Lugd. Bat. 1651. in 4to. Commentarios in *Pſalmos* ſterili ſtylo ſcriptos huic Arnobio abiudicant docti.

de iuſtitia, 6 *de vero cultu*, 7 *de vita beata.* Additur *de Ira* Dei liber vnus, & alias *de opificio* Dei; vt *Epitomen* eius omittam. Vbique dictio ei lecta, perſpicua, numeroſa, ſed non vbique vel a ſordibus vocum ſeculi ſui immunis, vel ab erroribus Theologicis, Phyſicisque libera (s).

42. M. MINVCIVS FELIX, Lactantio vetuſtior, ſcripſit *Octauium*, hoc eſt, dialogum inter Chriſtianum & Ethnicum, in quo cauſam Chriſtianorum facunde defendit, & quidem caſtigatiori ſtylo quam *Arnobius*. Minucium erudite publicauit *Iacob. Oizelius* (t). IVVENCVS Hiſpanus circa tempora Conſtantini Magni *Euangelium Matthaei* metro reddidit, libris quatuor, Poëta natiuae & ſimplicis dictionis, ſed in mora ſyllabarum ſubinde vacillans. S. Hilarii pietatem illo ſeculo laudamus, ſed ſtyli nitor quaerendus apud alios (u). RVFVS FESTVS AVIENVS, Principibus Gratiano & Theo-

(s) Luculentiſſimam *Lactantii* editionem debemus *Seruatio Gallaeo*, *variorum* notis illuſtratam, Lugd. Bat. 1660. in 8uo. Laudatur & editio *Th. Sparckii*, Cantab. 1658. in 8uo; item *Chriſtophori Cellarii*, Lipſiae 1698. in 8uo. Librum de *Mortibus Perſecutorum* optime edidit *Paulus Bauldrus* cum notis *Baluzii*, (primi editoris) & *Gisb. Cuperi.* Vltrai. 1692. in 8uo.

(t) cum notis *Variorum*, Lugd. Bat. 1672. in 8uo. Laudatur & editio *Chriſtoph. Cellarii* cum notis, Halae 1699. in 8.

(u) Ornatiſſimam *Hilarii* editionem debemus *Petro Coutant* & aliis *Benedictinis*, Pariſ. 1693. in fol.

Theodoſio clarus, *Arati phaenomena* nitidiſſimo carmine expreſſit, & *fabellas Aeſopicas* reddidit elegis, vtrobique perſpicuus, terſus, & aeuo ſuo floridior (x). SEXT. AVRELIVS VICTOR *hiſtoriae Romanae breuiarium* compoſuit, in quo *de gentis Rom. origine, de Viris illuſtribus Vrbis Romae, de Caeſaribus ab Octau. Auguſto ad Iulianum* agit, breuiter quidem, ſed neruoſe: quippe in ea breuitate multa aperit ex ſcriptoribus antiquis, qui interciderunt, quae alioquin ignoraremus, & ea ſatis prudenter, immo plerumque ſatis Latine eloquitur. Nobilior editio *Gaesbeeckiorum* (y).

43. DECIVS MAGNVS AVSONIVS, Burdigalenſis, Gratiani Imperatoris praeceptor, varia metro conſignauit, *Moſellam, de Caeſaribus Romanis, Profeſſoribus, claris vrbibus, ſapien-*

(x) Apparet in *Syntagmate Arateorum* cum notis *Hug. Grotii*, Lugd. Bat. 1600. in 4to.

(y) Lugd. Bat. 1671. in 8uo, cum *variorum* notis. In vſum *Delphini* adornauit *Anna Tanaquilli Fabri filia*, Pariſ. 1681. in 4to, quam editionem repetiit, notisque & figuris aeri inciſis adauxit *Sam. Pitiſcus*, Vltrai. 1696. in 8uo.

In haec eadem tempora incidit EVTROPIVS Sophiſta, cuius *Breuiarium Hiſtoriae Romanae* decem libris complexum & ab V. C. vsque ad Fl. Valentem perductum hodie teritur, ſtylo illud quidem parum concinno, nec tamen plane contemnendo. Inter editiones eminet *Chriſtoph. Cellarii*, cum Graeca *Paeanii* Metaphraſi, notis item & variis lectionibus, Cizae 1678. in 8uo, & *Annae Tanaquilli Fabri filiae*, Pariſ. 1683. in 4to, in vſum *Delphini*

pientibus, *epigrammata*, *parentalia*, *epitaphia*, *idyllia*, *eclogarium*, *epiſtolas*, *centonem nuptialem*, &c. ſcriptor emunctae naris, argutus, ingenioſus, ſed ſtylo ſubinde duriuſculus. Putat tamen *C. Barthius* eum ſine exemplo antiquitatis nihil ſcripſiſſe, vtcunque ſcriptores, a quibus hauſit, oſtendi hodie nequeant. *Auſonium* curioſe edidit *Iac. Tollius* cum notis *variorum* (z). MEROPIVS PAVLLINVS amicus eius, a ſingulari pietate commendatur, nec metra eius Venere carent, niſi quod in leges dimetiendi quandoque impingant (1). CENSORINI opuſculum *de die natali* varia de temporum ordinatione, de Muſica, de annis Graecis, Romanis, Aegyptiacis erudite tradit, ſtylo non inculto, ſed qui ad puritatem argentei aeui non accedat. Hunc auctorem adiectis notis docte recenſuit *Lindenbrogius* (2). Scripſit autem *Cenſorinus* anno V. C. DCCCCXCI. AVR. THEODOSIVS MACROBIVS, Theodoſii principatu clarus, reliquit *commentariorum in ſomnium Scipionis* libros duos, *Saturnalium* libros ſeptem, in quibus multae artes, multa praecepta, varia & recondita eruditio mathematica, conuiualis, philologica, phyſica, alia; ſcri-

(z) Lugd. Bat. 1671. in 8uo.

(1) Opera *Meropii Paullini* diligenter edidit *Ioh. Baptiſta le Brun*, Pariſ. 1685. in 4to, notis illuſtrata.

(2) Lugd. Batau. 1642. in 8uo editum.

ſcriptor lectu non indignus, nec ſermone incurioſus, licet dicendi genus ex eo haurire per degenerantis ſeculi miſturam non conueniat. Hunc adiectis notis probe illuſtrauit *Iacobus Gronouius* (3).

44. AVRELIVS SYMMACHVS, Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus, ſcripſit *epiſtolas* libris X, expreſſas, in quibus plurimum neruorum & conciſae breuitatis, multa, quae ad ciuilem ſpectant prudentiam, accurate definita, ſtylus tamen non raro offendit aures melioribus ſeculis aſſuetas. Huius facundiſſimam pro Diis gentium orationem opportune retuderunt eodem tempore *Ambroſius* & *Prudentius* (4). Exſtant in hanc rem D. Ambroſii epiſtolae duae inter caetera eius opera pietate & ſacra eruditione mixtiſſima. Sed & AVREL. PRVDENTIVS CLEMENS, libellis duobus ſe *Symmacho* fortiter oppoſuit: cuius praeterea *Pſychomachia*, *Cathemerinos*, *Apotheoſis*, *Hamartigenia* &c. late Poëtam declarant, quanquam nec cura dictionis, nec cuſtodia dimenſionum cum antiquis comparandum (5). *Sym-*

(3 Lugd. Bat. 1670. in 8uo editum.

(4) Ex editionibus *Symmachi* commendatur *Pareana*, Neapoli Nemetum 1617. in 8uo, Electis & Lexico Symmachiano comitata.

(5) Prudentium bene edidit *Ioh. Weitzius* commentariis illuſtratum, Hanou. 1613. in 8uo. Textum adiectis notis feli-

Symmacho σύγχρονος Lvcivs Ampelivs *librum memorialem* exarauit nudo & ſimplici ſtylo, in quo pleraque ſic ſatis caſtigata. (6) Circa id tempus Servii *in Virgilium* commentarii exarati ſunt, docti illi, & candidatis Poëſeos vtiles; (*) item liber Pvblii Victoris *de Regionibus Vrbis Romanae;* nec non ſcriptum Sexti Rufi *de XIV. regionibus Romanae vrbis,* libelli antiquariis neceſſarii (7). Eiusdem *Sexti Rufi* opus habetur *Epitome rerum a Pop. Rom. geſtarum,* in qua agitur de imperandi genere Regio, Conſulari, Imperatorio (8). Huius aeui eſt Ivlivs Firmicvs Maternvs, cuius ſcriptum *de errore profanarum religionum* ad Conſtantinum & Conſtantem, varie gentilium Deos, & ſacra exagitat, ſtylo humiliori quam *Arnobius* & *Minucius*, non ſordido tamen (9). Minus

feliciſſime emendauit *Nicolaus Heinſius*, Amſtelod. 1667. in 12mo. In vſum *Delphini* adornauit *Steph. Cammiliard*, Pariſ. 1687. in 4to.

(6) *Ampelii* editiones paene eaedem laudantur quae Flori, cui ſaepius aſſociari ſolet.

(*) Commendatur *Petri Danielis*, Pariſ. 1620. in fol.

(7) *Publ. Victorem* & *Sext. Rufum* de *Regionibus Vrbis* commode edidit *Phil. Labbeus* in *Notitia dignitatum vtriusque imperii* Pariſ. 1651. in 12mo.

(8) *Sexti Rufi Epitome* ſiue *Breuiarium* cum aliis Hiſtoriae Romanae epitomis edidit *Nic. Blanckardus*, Lugd. Bat. 1648. in 12mo.

(9) Laudatur editio *Ioh. Woweri* cum breuibus notis, ex Bibliopolio Frobeniano An. 1603. in 8uo, & *Iac. Oizelii*, vna cum Minucio Felice, Lugd. Bat. 1672. in 8uo.

Minus accuratus eſt in vocibus & phraſi tota *Iulius Firmicus Maternus* in libris VIII. *Aſtronomicis,* quos de iudiciis ex aſtris compoſuit imitatione *Manilii,* quin & in iis ſaepe vanus (10).

45. Hic paucis monendum de XII. Veterum Panegyricis, ſermonibus verius quam ſcriptoribus. Ex quibus *Plinianus* ille Traiano dictus ad argenteam pertinet aetatem, de quo ante; MAMERTINI duo, Maximiano dicti, & tertius Iuliano, ſic ſatis mediocritate ſua tuti; EVMENII alter pro reſtaurandis ſcholis, alter Conſtantino dictus, ſicut & duo incertorum ſcriptorum, paullo magis incaleſcunt; validius adhuc NAZARII Panegyricus eidem Conſtantino dedicatus; totus inardeſcit LATINVS PACATVS DREPANIVS in oratione ſua Theodoſio inſcripta, in qua propemodum omnia cothurnata, & Poëticae audaciae propiora; oppido quidem a limpidis aureae aetatis fontibus aliena, plurimis tamen etiam ſeculo noſtro probata (11). RHETORES ANTIQVI, quos vno volumine complexus eſt *Fr. Pithoeus,* (12) magnam

(10) *Aſtronomicon* ſaepius cum *Manilio* impreſſum eſt.

(11) Luculenta eſt editio *Pariſienſis* 1643. II. Volum. in 12mo, cum notis *variorum.* Nec ſua deſtituitur laude editio *Chriſtoph. Cellarii,* Halae 1703. in 8uo. In vſum *Delphini* illuſtrauit *Iac. de la Baune,* Pariſ. 1677. in 4to.

(12) Pariſ. 1599. in 4to, editos.

gnam partem ad aeuum ferreum ſpectant, quanquam ſtylo non barbari, & praeceptoribus vtiles. In iis praeſtantiores ſunt MARIVS VICTORINVS, RVTILIVS LVPVS, AQVILA ROMANVS &c. Idem cenſendum de GRAMMATICAE LATINAE AVCTORIBVS antiquis, quos vno ſed ſpiſſo volumine expreſſit *Helias Putſchius* (13), hos inter laudatiores ſunt CHARISIVS, PRISCIANVS, DIOMEDES, DONATVS, PROBVS, PHOCAS &c.

46. FLAVIVS VEGETIVS RENATVS, Valentiniano Principe, ſcripſit *Inſtitutorum Rei Militaris* libros quinque, ſtylo quidem ſatis vulgari, & minus electo, vtiles tamen hodieque Martis alumnis, quippe prudenter docet, qualis legendus miles, quibus armis exercendus, qualem oporteat eſſe pedeſtrem exercitum, quaenam terreſtri, naualique praelio neceſſaria ſint, quibus machinis oppida vel defendi commodius vel oppugnari queant. Cui ſcripto lucem, notasque addidit *God. Stewechius* (14). CLAVDIVS CLAVDIANVS, principatu Theodoſii,

(13) editos Hanouiae 1605. in 4to.

(14) Editione Lugd. Bat. 1604. in 4to. Textum adiecto correctionum libello accurate emaculauit *Petrus Scriuerius* Lugd.B. 1644. in 12mo. Scriptum *Vegetii* de *re Veterinaria*. ſiue *Mulo Medicina* edidit *Ioh Sambucus* Baſil. 1574. in 4to. Sed meliorem editionem exſpectamus e ſcriniis illuſtris Dn. *Caſp. Bartholini.*

doſii, Arcadii, & Honorii, ob artem Poëticam in ſummo fuit pretio, dignus, qui nobilioribus argentei aeui ſcriptoribus ob illuſtre ingenium, grauem, ſublimem, caſtam, immo & facilem dictionem, monitis politicis diſtinctam, annumeretur, licet vltima aetatis aeneae linea ſcripſerit. Quam aſſurgit in *Raptu Proſerpinae?* quam magnifice expingit *laudes Stiliconis?* Nec in *Rufino, Eutropio, Bello Gildonico, Getico, Conſulatibus Honorii* a ſe degenerat. Habent & *epigrammata* eius, atque *elegi,* quae titillent. De Claudiano bene meruit commentator *C. Barthius* (15), in textu emendando nemo felicior *Nic. Heinſio* (16).

47. Sextvs Pompeivs an circa finem aenei ſeculi, an circa initia ferrei vixerit, nondum ſatis liquet. Id certum, ſcriptum eius *de Verborum ſignificatione*, vt hodie *Ioſ. Scaligero* emendatum legitur, candidatis purae latinitatis vtiliſſimum eſſe (17). Huic coniungimus

(15) cuius editio Francofurt. 1650. in 4to.

(16) e cuius manu exiit Lugd. Bat. 1650. in 12mo, adiectis ad finem notis; quam editionem poſtea ſecutus eſt *Corn. Schreuelius*, Amſtelod. 1665. in 8uo, cum notis *Variorum*. In vſum Delphini vulgauit *Guilielmus Pyrrhus*, Pariſ. 1677. in 4to.

(17) Editum eſt a *Scaligero* Pariſ. 1576. in 8uo, Luculentiorem in vſum *Delphini* editionem debemus *Andreae Dacerio*. Pariſ. 1681. in 4to. quam additis *Ioſ. Scaligeri* & aliorum notis repetierunt Amſtelodamenſes 1700. in 4to.

mus Nonivm Marcellvm, qui parum quidem ipſe valet iudicio, neceſſarius tamen ſcriptor eſt, ob cuſtodita tot Veterum Fragmenta, quae alioquin intercidiſſent (18). Caelivs Avrelianvs Siccensis, cuius adhuc ſuperſunt *Tardarum Paſſionum libri quinque,* incertae aetatis ſcriptor eſt, credibile tamen, eum ad vltima aeneae pertinere, ſed dictio eius, vt hominis Afri, ita negligens ſubinde deprehenditur, vt ad fictilem non raro mereatur referri (19). Marcellvs Empiricvs, imperante Theodoſio Magno, librum *de medicamentis* ſcripſit, hauſto non tantum ab antecedentibus Medicis, ſed etiam ab agreſtibus & plebeiis argumento; opus non inutile medentibus, qui ex methodo procedunt, aliis ſaepe noxium. Accedit dictio parum caſtigata, ſuperſtitiones nonnunquam paene aniles (20). Avtores Finivm Regvndorvm a *Nicolao Rigaltio* in vnum volumen collecti, & notis illuſtrati (21). ſc. Balbvs Mensor, Sicvlvs, Flaccvs, Ivl. Frontinvs, Hyginvs,

 Agge-

(18) Laudatur editio Pariſienſis 1614. in 8uo, cum Anonymi (forte *Ioſiae Merceri*) notis.

(19) Commendatur editio Lugdunenſis *Iac. Dalekampii* 1579, in 8uo.

(20) Editus eſt ab *Henrico Stephano* inter reliquos *Medicae artis principes,* Pariſ. 1567. in fol.

(21) Pariſ. 1613. in 4to. etiam a *Guilielmo Goeſio* Amſtelod. 1674. in 4to, ſed apparatius.

Aggenvs Vrbicvs, Vitalis, Myrsontivs, Mago, Vegola, Isidorvs, alii, diuerſorum ſeculorum ſcriptores ſunt, praecipue tamen aenei, & ferrei, quorum ſtylus vt varius eſt, ita ſaepe olet ſitum. Eſt tamen, cur Candidatis amentur, tum quod argumentum ſuum perſequantur ſatis conuenienter, tum quod artis vocabula vulgo eruditorum incognita fideliter exprimant. Sed & vaſtum illud opus *Inſcriptionum Antiquorum* a *Grutero* editum (22) ad diuerſas aetates ſpectat, in eo tamen maxima pars bonae notae eſt, vltima, & ſuppoſititiorum appendix, vix ſerio legi merentur.

Ferrea & fictilis aetas.

48. In aetate *ferrea* quicquid noue confictum eſt, *barbarum* aeſtimari debet, quod Barbari tum non tantum imperium Rom. ſed & ipſam Italiam late inundarent, Vrbemque Romam ad linguae ſuae ſtribliginem paullatim aſſuefacerent. Quem tamen titulum iis aetatis aeneae auctoribus, qui negligentius ſcripſere, timidius attribuerim, contentus *ſemibarbaros* appellaſſe. Neque inficiandum, multos initio huius aetatis, ſi paucas maculas exceperis, non inele-

(22) ex officina Commeliniana 1603, & deinde Antu, 1616. in fol.

inelegantер ſcripſiſſe, in quibus AVGVSTINVS, AMBROSIVS, HIERONYMVS, PROBA FALCONIA, (a) SVLPITIVS SEVERVS, (b) OROSIVS (*), PROSPER AQVITANICVS (c), SEDVLIVS (**), NVMATIANVS (d), SIDONIVS APOLLINARIS (e), (ſed hic audacior) ita vt aequent, ſi non aliquando ſuperent induſtriam ſcriptorum nonnullorum aetatis aeneae. Sed plerique horum conſtantiam illam nitide ſcribendi didicerant, & verterant velut in naturam, ante aduentum vaſtatoris Alarici, maturi iam dictione, ante Vrbem expugnatam; reliqui horrorem temporum vicere induſtria, cum liceat quouis ſeculo imitari, ſi quis velit, optimos;

E 3 ſed

(a) Cuius *Virgiliocentones in V. & N. Teſt.* prodire Coloniae 1601. in 8uo.

(b) Probe *Sulpitii Seueri* opera edidit notis illuſtrata *Ioh. Vorſtius*, Berolini 1668. in 12mo. Cum notis *variorum* publicauit *Georg. Hornius*, Lugd. Bat 1665. in 8uo. Luculentiſſimo commentario illuſtrauit *Chriſt. Schotanus*, Franequ. 1664. in fol.

(*) Oroſii optima editio habetur Moguntina illa 1615. in 8. cum notis *Fr. Fabricii* & *Lud Lautii.*

(c) Cuius opera edita Duaci 1577. in 8uo; & Pariſ. 1657. in 4to.

(**) Cuius optimam editionem cum annotationibus debemus *Chriſtoph. Cellario*, Halae 1704. in 8uo.

(d) Cuius *Itinerarii* optimam editionem *variorum* caſtigationibus & notis comitatam cum publico communicauit *Theod. Ianſ. ab Almeloueen*, Amſtelod. 1687. in 12mo.

(e) Laudatur editio *Geuerh. Elmenhorſtii* cum obſeruationibus *Ioh. Wowerii*, Hanouiae 1617. in 8uo, & *Phil. Labbei* cum notis *Sirmondi*, Pariſ. 1652. in 4to.

ſed multitudo oſcitanter eodem tempore ſcribentium hic metas definit.

49. Circa finem quinti ſeculi Chriſtiani ſcripſit SALVIANVS pie, & pro captu temporum, ſatis eleganter: (f) floridius tamen BOETHIVS initio ſeculi ſexti (g), nec indiſerte FVLGENTINVS, ALCIMVS AVITVS, CASSIODORVS, PRISCIANVS, MARTIANVS CAPELLA aetate anteuertit *Boëthium*, nec ingenio & eruditione varia deſtituitur, ſed ſtylus eius, vt Afri hominis, tumidior, negligentiorque, quam vt imitationem mereatur (h). Prodiere etiam ſexto ſeculo DIGESTA IVSTIANAEA, quae tamen magnam partem ex aetatis aeneae conſtant ſcriptoribus, quos ferrei in certas claſſes redegere. Eodem ſeculo floruere ARATOR, VEN. FORTVNATVS, CORIPPVS AFRICANVS, GREGORIVS TVRONENSIS, & GREGORIVS MAGNVS, ſcriptores non indocti, ſed ad dictionis nitorem non ita attenti, & qui ex iis metra ſcripſere, in mora ſyllabarum minus exquiſiti. De

(f) Eius operum editio *Pariſienſis* 1669. in 8uo laudatur.

(g) De quo Sciptore bene meritus eſt *Renatus Vallinus*, publicato Lugd. Bat. 1656. in 8uo, adiunctis ad calcem notis eruditis; floridior tamen editio Lugd. Bat. 1671. in 8uo, cum notis *variorum*. In vſum *Delphini* adornauit *Petrus Calgus*, Pariſ. 1680. in 4to.

(h) Praeſtantiſſimam *Capellae* editionem procurauit *Hugo Grotius* oppido iuuenis, notis illuſtratam, Lugd. Bat. 1599 in 8uo.

De ſequentium ſeculorum ſcriptoribus idem fere eſto iudicium: & quidem ſeptimum illuſtrauit ISIDORVS HISPALENSIS; octauum Venerabilis BEDA, FLACCVS ALCVINVS, PAVLVS VARNEFRIDVS *Longobardus*, EGINHARDVS HISTORICVS; nonum AIMONIVS, STRABVS GALLVS, ANASTASIVS BIBLIOTHECARIVS, ADO, Viennenſis Archiepiſcopus.

50. Decimo ſeculo inter ſcriptorum doctiores habitus eſt LVITPRANDVS, & Danae originis ODO SEVERVS; vndecimo HAYMO FLORIACENSIS, GLABER RADVLPHVS, HERMANNVS CONTRACTVS, LAMBERTVS ASCHAFFENBVRGENSIS, duodecimo GVNTHERVS, SIGEBERTVS, OTHO FRISINGENSIS Britannus, opere *de Nugis Curialium,* celebris (i), & SAXO GRAMMATICVS; Danus, cuius hiſtoria licet per caliginem ſeculi ad fabulas non raro declinet, ſtylo tamen vincit captum temporum ſuorum, non eſt tamen, cur in imitationem hodie proponantur. Decimo tertio PHILIPPVS GVALTERVS, *Alexandreidos* auctor, CONRADVS ABBAS *Vrſpergenſis,* MATTHAEVS PARISIVS, VINCENTIVS BELLOVACENSIS, MARTINVS POLONVS, ALBERTVS MAGNVS, THOMAS AQVINAS, BONAVENTVRA, IOANNES DVNS *Scotus.* Decimo

(i) Cuius praeſtantem editionem publico donauit *Ioh. Maire,* Lugd. Bat. 1639. in 8uo.

cimo quarto ALANVS de INSVLIS, qui & *Anticlaudianus* dictus, ROBERTVS BESTONVS, GVALTHERVS BVRLEY. Tandem Imperatore Ludouico Bauaro, & mox Carolo IV. circa annum Chriſti MCCCL. coepere ſtudia humaniora paullatim refloreſcere, & barbaries e calamis doctorum ſenſim exſtirpari, in quo negotio adhuc verſantur cordatiores, non infructuoſe quidem, niſi quod adhuc qui prima iuuentute in ſcabros, incultosque incidere Magiſtros, aegre, etiam ſenes, plebeias illas ſordes exuant.

INDEX

INDEX PRIMVS

CHRONOLOGICVS

In quo

Omnes Auctores, qui in hoc conſpectu inueniuntur, ſecundum continuam ſeculorum ſeriem, ante & poſt vulgatam Aeram Chriſtianam, adeoque reſpectu Temporis, quo potiſſimum floruerunt, & obierunt, breuiter recenſentur.

Seculo ante natum Chriſtum IIdo.

Accius.
Afranius.
Caecilius.
Cato.
Ennius.
Liuius Andronicus.
Lucilius.
Naeuius.
Pacuuius.
Plautus.
Terentius.

Seculo ante Chriſtum Imo.

Caeſar (Iul.)
Caeſar Germanicus.
Catullus.
Cicero.
Gratius.
Hirtius.
Horatius.
Liuius Patauinus.
Lucretius.
Manilius.
Nepos.
Ouidius.
Propertius.
Salluſtius.
Tibullus.
Varro.
Virgilius.
Vitruuius.

Seculo poſt Chriſtum Imo.

Aſconius.
Celſus.
Columella.
Curtius.
Florus.
Frontinus.
Iuuenalis.
Lucanus.
Martialis.
Mela.
Palladius.
Paterculus.
Perſius.

Phaedrus.
Plinius vterque.
Quintilianus.
Seneca.
Silius Italicus.
Statius.
Suetonius.
Tacitus.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Seculo poſt Chriſtum IIdo.
Apicius.
Apuleius.
Gellius.
Iuſtinus.
Tertullianus.
Seculo poſt Chriſtum IIItio.
Capitolinus.
Lampridius.
Spartianus.
Trebellius Pollio.
Vopiſcus.
Vulcatius Gallicanus.
Seculo poſt Chriſtum IVto.
Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Ampelius.
Aquila Romanus.
Arnobius.
Auienus.
Auſonius.
Calpurnius.
Cenſorinus.
Chariſius.
Claudianus.
Diomedes.
Donatus.
Drepanius Pacatus.
Eumenius.
Eutropius.
Fannius.
Firmicus Maternus.
Hilarius.
Iuuencus.
Lactantius.
Macrobius.
Mamertinus.
Marius Victorinus.
Minucius Felix.
Nazarius.
Nemeſianus.
Nonius Marcellus.
Obſequens.
Paullinus (Meropius.)
Phocas.
Pompeius (Sextus.)
Priſcianus.
Probus.
Prudentius.
Rutilius Lupus.
Samonicus.
Seruius.
Sextus Rufus.
Solinus.
Symmachus.
Vegetius.
Victor (Aurel.)
— (Publ.)
Vlpianus.
Seculo poſt Chriſtum Vto.
Aggenus Vrbicus.
Auguſtinus.
Aurelianus Siccenſis.
Balbus Menſor.
Flaccus.
Hieronymus.
Iſidorus.
Mago.

Marcellus Empiricus.
Myrſontius.
Numatianus.
Oroſius.
Proba Falconia.
Proſper Aquitanicus.
Saluianus.
Sedulius.
Siculus.
Sidonius Apollinaris.
Sulpicius Seuerus.
Vegoia.
Vitalis.
Seculo poſt Chriſtum VIto.
Alcimus Auitus.
Arator.
Capella.
Caſſiodorus.
Corippus Africanus.
Fortunatus (Venant.)
Fulgentius.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.
Iuſtinianus.
Seculo poſt Chriſtum VIImo.
Iſidorus.
Seculo poſt Chriſtum VIIIuo.
Alcuinus.
Beda.
Eginhardus.
Varnefridus.
Seculo poſt Chriſtum IXno.
Ado Viennenſis.
Aimoinus.
Anaſtaſius Biblioth.
Strabus Gallus.
Seculo poſt Chriſtum Xmo.
Luitprandus.
Odo Seuerus.
Seculo poſt Chriſtum XImo.
Glaber Radulphus.
Haymo Floriacenſis.
Hermannus Contractus
Lambertus Aſchaffenburgenſis.
Seculo poſt Chriſtum XIImo.
Guntherus.
Otho Friſingenſis.
Sariſburienſis (Ioh.)
Saxo Grammaticus.
Sigebertus.

INDEX SECVNDVS

Secundum ordinem literarum initialium, in quo numeri paragraphum denotant.

A.

Accius 1
Ado 49
Afranius 2. 25
Aggenus Vrbicus 47
Aimoinus 49
Alcimus Auitus, ibid.
Alcuinus, ibid.
Ambroſius 44. 48
Ammianus Marcellinus 41
Ampelius 44
Anaſtaſius 49

Apicius 3. 37
Apuleius 3. 38
Aquila Romanus 45
Arator 49
Arnobius 41
Aſconius 2. 25
Auguſtinus 48
Auienus 42
Aurelianus Siccenſis 47
Auſonius 43
B.
Balbus Menſor 47
Beda 49
Boëthius, ibid.
C.
Caecilius 1
Caeſar (Iul.) 2. 8.
Caeſar Germanicus 2. 16
Calpurnius 40
Capella 49
Capitolinus 39
Caſſiodorus 49
Cato 2. 4
Catullus 2. 11
Celſus 2. 21
Cenſorinus 43
Chariſius 45
Cicero 2. 6
Claudianus 2. 46
Columella 2. 21
Corippus Africanus 49
Cornelius Seuerus 35
Curtius 2. 26
D.
Dictys Cretenſis 2 35
Donatus 45
Drepanius Pacatus, ib.
E.
Eginhardus 49
Ennius 1
Eumenius 45
Eutropius 42
F.
Fannius 40
Firmicus Maternus 44
Flaccus 47
Florus 2. 14. 34
Fortunatus 49
Frontinus 2 32. 47
Fulgentius 49
G.
Gellius 3. 37
Glaber Radulphus 50
Grammatici antiqui 45
Gratius 2. 16
Gregorius Turonenſis 49
— Magnus, ibid.
Guntherus 50
H.
Haymo 50
Hermannus Contractus, ib.
Hieronymus 48
Hilarius 42
Hirtius 8
Hiſtoriae Auguſtae Scriptores 3. 39
Horatius 2. 13
Hyginus 2. 35. 47
I.
Iſidorus 47
— Hiſpalenſis 49
Iuſtinus 2. 3. 37
Iuſtinianus 49
Iuuenalis 2. 29
Iuuencus 42
L.
Lactantius 41
Lambertus Aſchaffenburgenſis 50

Lam-

INDEX SECVNDVS.

Lampridius 39
Liuius Andronicus 1
— Patauinus 2. 14
Lucanus 2. 24
Lucilius 1
Lucretius 2. 7
Luitprandus 50

M.

Macrobius 43
Mago 47
Mamertinus 45
Manilius 2. 16
Marcellus Empiricus 47
Marius Victorinus 45
Martialis 2. 29
Mela 2. 20
Minutius Felix 42
Myrſontius 47

N.

Naeuius 1
Nazarius 45
Nemeſianus 40
Nepos 2. 9
Nonius 47
Numatianus 48

O.

Obſequens 3. 40
Odo Seuerus 50
Oroſius 48
Otho Friſingenſis 50
Ouidius 2. 17

P.

Pacuuius 1
Palladius 2. 21
Panegyrici veteres 45
Paterculus 2. 20
Paullinus 43
Perſius 2. 25
Petronius 2. 35. 36
Phaedrus 2. 19
Phocas 45
Plautus 2. 5
Plinius 2. 27
Plinius Iunior 2. 23
Pompeius (Sextus) 47
Priſcianus 45. 49
Proba Falconia 49
Probus 45
Propertius 2. 11
Proſper Aquitanicus 48
Prudentius 44

Q.

Quintilianus 2. 31

R.

Rhetores antiqui 47
Rutilius Lupus, ibid.

S.

Salluſtius 2. 10
Saluianus 49
Samonicus 4. 40
Sarisburienſis (Ioh.) 50
Saxo Grammaticus, ib.
Scribonius Largus 2. 35
Sedulius 48
Seneca Philoſ. 2. 22
— Tragicus 23
— Rhetor, ibid.
Seruius 44
Sextus Rufus 44
Siculus 47
Sidonius Apollinaris 48
Sigebertus 50
Silius Italicus 2. 28
Solinus 3. 40
Spartianus 39
Statius 2. 32
Strabus Gallus 49
Sulpitius Seuerus 48

Sueto-

Suetonius 2. 34
Symmachus 44
T.
Tacitus 2. 30
Terentius 2. 5
Tertullianus 3. 38
Tibullus 2. 11
Trebellius Pollio 39
V.
Vlpianus 3. 40
V.
Valerius Maximus 2. 18
Valerius Flaccus 2. 39
Varro 2. 7
Varnefridus 49
Vegetius 46
Vegoia 47
Victor (Aurel.) 42
— (Publius) 44
Virgilius 2. 12
Vitalis 47
Vitruuius 2. 15
Vopiſcus 39
Vulcatius Gallicanus, ib.

INDEX TERTIVS.

Secundum differentiam materiarum, in quo pertinent.

Ad Claſſem Theologicam.
Ambroſius 44. 48
Arnobius 41
Auguſtinus 48
Firmicus Maternus 44
Gregorius Magnus 49
Hieronymus 48
Hilarius 42
Lactantius 41
Minutius Felix 42
Saluianus 49
Tertullianus 2. 38
Ad Claſſem Iuridicam.
Aggenus Vrbicus 47
Balbus Menſor, ibid.
Flaccus, ibid.
Iuſtinianus 49
Mago 47
Myrſontius, ibid.
Siculus, ibid.
Vlpianus 3. 40
Vegoia 47
Vitalis, ibid.
Ad Claſſem Medicam.
Aurelianus Siccenſis 47
Celſus 2. 21
Marcellus Empiricus 47
Scribonius Largus 2. 35
Ad Claſſem Philoſophicam proprie dictam.
Cato 2. 4
Columella 2. 21
Palladius, ibid.
Seneca Philoſophus 2. 22
Ad Claſſem Hiſtoricam.
Ado 49
Aimoinus, ibid.
Ammianus Marcellinus 41
Ampelius 44
Anaſtaſius 49

Beda,

INDEX TERTIVS.

Beda 49
Caeſar, (Iul.) 2. 8
Capitolinus 39.
Curtius 2. 26
Dictys Cretenſis 2. 35
Eginhardus 49
Eutropius 42
Florus 2. 14. 34
Glaber (Radulphus) 50
Gregorius Turonenſis 49
Guntherus 50
Haymo, ibid.
Hermannus Contractus, ib.
Hirtius 8
Hiſtoriae Auguſtae Scriptores 3. 39
Iuſtinus 2. 3. 37
Lambertus Aſchaffenburg. 50
Lampridius 39
Liuius Patauinus 2. 14
Luitprandus 50
Nepos 2. 9
Obſequens 3. 40
Odo Seuerus 50
Oroſius 48
Otho Friſingenſis 50
Paterculus 2. 20
Salluſtius 2. 10
Saxo Grammaticus 50
Sigebertus, ib.
Spartianus 39
Sulpitius Seuerus 48
Suetonius 2. 34
Tacitus 2. 30
Trebellius Pollio 39
Valerius Maximus 2. 18
Varnefridus 49
Victor (Aurel.) 42
Vopiſcus 39
Vulcatius Gallicanus, ib.

Ad Claſſem Geographicam.

Mela 2. 20

Ad Claſſem Rhetoricam.

Aquila Romanus 45
Drepanius Pacatus, ib.
Eumenius, ib.
Mamertinus, ib.
Marius Victorinus 45
Nazarius, ibid.
Panegyrici veteres 45
Plinius Iunior 2. 23
Quintilianus 2. 21
Rhetores antiqui 45
Rutilius Lupus, ib.
Seneca Rhetor 23

Ad Claſſem Poëticam.

Accius 1
Afranius 2. 25
Alcimus Auitus 49
Arator, ib.
Auienus 42
Auſonius 43
Caeſar Germanicus 2. 16
Caelius 1 Caecilius 1.
Calpurnius 40
Catullus 2. 11
Claudianus 2. 46
Corrippus Africanus 49
Cornelius Seuerus 35
Ennius 1
Fannius 40
Fortunatus 49
Gratius 2. 16
Horatius 2. 13
Iuuenalis 2. 29
Iuuencus 42
Liuius Andronicus 1

Lucanus 2. 24
Lucilius 1
Lucretius 2. 7
Manilius 2. 16
Martialis 2. 29
Naeuius 1
Nemeſianus 40
Numatianus 48
Ouidius 2. 17
Pacuuius 1
Paullinus 43
Perſius 2. 25
Phaedrus 2. 19
Plautus 2. 5
Proba Falconia 48
Propertius 2. 11
Prudentius 44
Samonicus 3. 40
Sedulius 48
Seneca Tragicus 23
Silius Italicus 2. 28
Strabus Gallus 49
Terentius 2. 5
Tibullus 2. 11
Valerius Flaccus 2. 29
Virgilius 2. 12

Ad Claſſ. Grammaticam.

Aſconius 2. 25
Chariſius 45
Donatus, ib.
Fulgentius 49
Grammatici antiqui 45
Iſidorus 47
Phocas 45
Priſcianus 45. 49
Probus 45
Seruius 44.

Ad Claſſem Philologicam ſiue *Miſcellaneam.*

Alcuinus 49
Apicius 3. 37
Apuleius 3. 38
Boëthius 49
Capella, ib.
Caſſiodorus, ib.
Cenſorinus 43
Cicero 2. 6
Frontinus 2. 32. 47
Gellius 3. 37
Hyginus 2. 35. 47
Iſidorus Hiſpalenſis 49
Macrobius 43
Nonius 47
Petronius 2. 35. 36
Plinius 2. 27
Pompeius (Sextus) 47
Proſper Aquitanicus 48
Sarisburienſis (Ioh.) 50
Sextus Rufus 44
Sidonius Apollinaris 48
Solinus 3. 40
Symmachus 44
Varro 2. 7
Vegetius 46
Victor (Publ.) 44
Vitruuius 2. 15

F I N I S.

VA1 1553457

Digitized by Google

Digitized by Google

18 h

Digitized by Google